



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi

Clagius, Thomas

Coloniae Vbiorvm, 1659

Liber IV. De Linda Mariana curae Societatis Iesv commissa, & rebus à
MDCXX. anno gestis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11544

LIBER IV.

De Lindâ Marianâ, cure Societatis Iesu commissa, & rebus à MDCXXX. Anno gestis.

CAPVT I.

Primi, qui de societate Iesu ad Lindâ Marianâ curam admoti sunt, fuerunt è collegio Brunsbergenfi exules.

O Vi ad ipsum Lindâ sacelli que exortum retroactis seculis, diuinarum rerum curam gesserint sacerdotes, haud facile est conjicere, nisi quòd Ioannes à Tieffen Ordinis Theutonicus supremus moderator (uti libro I. cap. VI. vidimus) innuat, partim ex illius Ordinis sacerdotibus, partim ex aliis Cleri, ut vocant, secularis Presbyteris, Lindâ curam habuisse solitos. Posteaquam Sadorscius postliminio sacellum restituit, ut Dei ac Deiparæ cultum unâ restitueret, nihil habuit antiquius, quàm ut Societatis Iesu presbyteris curam sacelli, laboremque circa promovendam animarum salutem committeret. Præterquam enim, quòd rebus diuinis, & peregrinorum commodis, quàm maximè vellent consultum, eâ insuper erat in Societate Iesu jam à teneris voluntate ac studio, ut si quâ posset, fundare Societatem Resseii dudum ante fatageret: Egerat quocirca sæpe cum moderatoribus Societatis, ut in desertum Eremitarum Ordinis S. Aug. monasterium (quod & Illustrissimi Varmiensis Episcopi, & serenissimi Poloniæ Regis gratiâ facile obti-

obtinuerat, sanctæque sedis Apostolicæ autoritate
 possessione firmaturus erat) commigrare ne detre-
 ctarent. Quæ causâ societate, in testamenti sui tabulis,
 Anno MDCXXIV conditis & signatis (quæ in ta-
 bulario nostro Resselij asservantur) bonorum ex al-
 se heredem scripsit, ut, quemadmodum ille ait, *Pa-
 tres Societatis quanto citius ad Monasterium Resselense intro-
 ducantur. & Collegium isthuc restituatur* Easdem testa-
 menti tabulas cum Anno MDCXXVI. die 28. Julii in-
 staurasset, *Heredes, inquit, bonorum omnium, Reverendi
 Patres Societatis Iesu constituo (uti in priori meo testamento,
 ante annum à me conscripto, consignato, & ab admodum
 R. P. Philippo Friso Rectore Brunsvurgense subscripto, cum
 subscriptionibus in formâ testamenti concedito constitui, &
 Societati Iesu pro fundatione Residentiæ Resselensis inscripsi)
 & eidem bona omnia lego tam in Episcopatu, quam in
 Ducatu; nimirum Furstenaui pagum, cum aulâ, prædio, pe-
 coribus, &c. similiter molam in Schulen, &c.* Verùm non ea
 tum aut tempora, aut societatis rationes erant, ut
 societas (quæ nullam cæteroqui ansam, Deiparæ
 cultum promovendi non arripit) vel in ipso Lindæ
 Marianæ loco, vel intra desertas Monasterii par-
 tinas Resselij figeret sedem. Quocirca Sadortor,
 qui de pellicienda Resselium societate nondum o-
 mnem proiecerat spem, apud Deiparæ Lindæ, eodem
 aliorum ministeria comparare interim est coactus,
 quibus eodem ipso tempore, quantumvis haud
 magnam, satis tamen accommodam juxta sacellum
 ad habitandû extruxerat domum. Et navabant stre-
 nuam pro virili operam, terni circiter sacerdotes
 intra annos fere octo sibi ordine succedentes. Sed
 cum

cùm neque illis, qui ad solitariam illam vitam nusquam assuevissent, aut assuescere unquam animum induxissent; neque tot populis undique occurrentibus, ab uno, quantumvis gnavo operario satisfieri commodè posset; Sadorfcus tantò vehementius societatis operas desiderare, ambire, requirere. Et, ô miras providentiæ divinæ rationes! Eadem prosum tempestate, sextus supra vicesimum huius seculi annus vertebatur, cùm ille ab Aquilone belli turbo, qui Prussiam pervasit, capta Brunsbergâ etiam Collegium societatis dissipavit. Occasus Brunsbergensis Collegii (quæ Dei benignitas in societatem esse solet) Residentiæ, & futuri aliquando Resselienfis Collegii, ortus fuisse videtur; ut Collegium Brunsbergense, è suis quasi cineribus, instar Phœnicis, in hac sua quasi sobole revixisse; vel certè ex illius quasi ruderibus, nova societati sedes, quæ alio, qui salvo illo Collegio sperari vix poterat, posita fuisse videri queat; adeoque societas geminam intra Varmiam domicilium iam possideat. Illo ergo belli turbine sex omnino sociis Brunsbergæ involutis, & aliis aliò disjectis, P. Simon Hein, qui se non tam adventanti hosti subduxerat; quàm è præsentis propè manibus Dei beneficio eolverat, cum Socio Resselii substitit; partim ut civitati ad ipsos Sectariorum fines positæ operam navaret; partim ut è vicinâ quasi speculâ Brunsbergensis Collegii statum; & (ut quorundam tum vanæ spes erant) occasionem brevi redeundi opperiretur. Commodam hîc occasionem nactus Sadorfcus, Patrem enixè orat, ut difficillimis temporibus sacram Lindæ Ædem aliis de-

deserentibus, ipse ne deterat. Neque Pater segnitiam operam suam, quoad quidem potuit, addixit. Euenerat enim illi, ut, qui Scyllam evitasset, in Charybdis propè inciderit. Nam qui scdam illam belli tempestatem à tergo reliquerat, à fronte, præter ejusdem belli longè lateque serpentis metum, in grassantem pestilentiam luem incurrit. In qua cum civitati, quæ erat in afflictos caritate, strenuè deservit, Georgius Busiacium, gnavum in Collegio Brunsbergenli rerum temporalium, per multos annos administrum, Resselii verò, & totius exilii atque calamitatis fidissimum socium, illam pestilentiam lue afflatum paulò post amisit. Solus igitur civibus intra mœnia cum morte in horas conflictantibus ita adfuit, ut rament Lindam identidem excurreret; & cum Peregrinis, tum Catholicis in vicino positis, à sacris quæ sacrificiis, quæ confessionibus, aliisque sacramentis esset. Paucis ante quàm nuper decederet è vita diebus (decessit pridie Cal. Maj. Anni MDCLIV. annum ætatis octuagesimum quartum supergressus) quemadmodum & alias referte jucundè solitus erat, quanto sibi in illi belli pestisquæ calamitate fuisset solatium, illud ad Deiparam Lindensem per fugium. Tamen si enim peccatape vix ea, quæ ad faciendam rem divinam requiruntur, in illa rerum temporumquæ difficultate, acquiri possent, tantum abest, ut cætera affluere; jucundum tamen erat frui illam facultate, quæ ad marternum quasi Deiparæ sinum clientulo recurrere. & apud Lindensem ipsius Regiam, tum suas, tum universæ societatis vices liceret defungi.

CAPIT

CAPUT II.

Societati per Sigismundam III. Regem evocata Reffelium, Sador-
scius Lindense facellum, & domum facello adjacentem
attribuit.

Nondum vel Reffelii, vel etjam Lindæ societas
pedem fixerat, etsi per suos operarios, Deo &
proximis non contemnendam utrobique navaret o-
peram: cum, ut utrobique figeret, votisque Sa-
dorfcii tandem annueret, serenissimi Regis Sigis-
mundi III. voluntas juxta, ac provinciæ totius ne-
cessitas coëgit. Successerat in defuncti Rudnicii lo-
cum, Anno MD CXXI. Serenissimus Joannes Albertus
Poloniæ & Sueciæ Princeps, perpetuus Episcopa-
tus Varmiensis Administrator; magneque & Pro-
vinciæ & Ecclesiæ commodo, Regiæ suæ dignitatis
luce Varmiam ornabat: cum interim captâ primo
Suecorum incutla Brunsberga, Collegioque societa-
tis prostrato, omnia in pejus ruere, ac retro sublap-
sa referri. Jacebant prostrata, unâ cum illis Prussiæ A-
thenis, literæ; neque erat, ubi juvenus, catholicis
præsertim orta parentibus, vel ad virtutem, vel ad e-
ruditionem, everfa illa pietatis literarumque palæ-
stra,ingeretur. Sacerdotes non pauci, qui se è præ-
sente belli incendio, vel exilio subduxerant volunta-
riè, vel morte erepti jam erant, desertas in pagis atq;
oppidis Ecclesias relinquebant, sed & scholæ ac Ma-
gistratus civitatum, doctrina pariter ac juris doctis-
simis deficientibus, vastitatem atque horrorem
quondam minabantur. Igitur tantam Ecclesiæ Rei-
pub. solitudinem cum viderent, ac majorem etjam
indies

indies vererentur iis, quibus rerum administratio
difficillimis sanè temporibus erat commissa (poti-
simùm verò prudentissimis illis viris, quibus Colle-
gium illud apud Cathedram Varmientem inclyrum
semper abundat, vehementer adnitentibus) ad se-
renissimum Principem suum Joannem Albertum,
atque ad eò ad ipsum Regem Sigismundum ultro ad-
eunt; præsentibus patriæ necessitates explicant, implē-
rant auxilium. Propè omnium vota eo maxime spe-
ctabant, ut Patres societatis Varmiam postliminò
revocati, præsentibus, quin & futuris Ecclesiæ Reipub.
incommodis mederentur; hoc est, ut fixis alle-
cubi sedibus, Gymnasium, in quo juvenus diu ne-
glecta, ad præsentibus futurosq; patriæ usus formare-
tur, quamprimum aperirent. Rex pro summo in re-
Catholicam, minimamque Jesu Societatem studio,
haud gravatè postulatis annuit; idoneumq; Gymna-
sio locum deligi ex templo imperavit. Non deerant
qui angustiis civitatis Resseleensis moti, Heilsber-
gam, Allenstenium, Gutstadium, aliumvé locum, ob
majorem populi ædiumque frequentiam, tanquam
futuro Gymnasio magis opportunum præferrent.
Enimvero Sadorfcius occasione utendum ratus, or-
ninem movere lapidem, ut veteri suo desiderio, cum
Resseleum cæteris præferendum persuasisset, ean-
dem faceret satis. Itaque literas Idibus ipsis Aprilis
Anni MDCXXX. ad Sigismundum Regem, ad P.
Pompilium Lambertengum, societatis tum in Pro-
vincia Lituaniæ visitatorem, ad P. Joannem Jani-
thorosky ejusdem provinciæ Præpositum, ad P. Jacobum
Marquard, & P. Valentinum Seidelium, quorum alter
Reg

Regi, Reginae alter à sacro tribunali erat, magno studio adornat. Ea fuit literarum vis, ut obtento facile omnium consensu, & Rex ipse maturandum opus censeret; & R. P. Provincialis, ad explorandam loci commoditatem, Resselium, nullâ interpositâ morâ excurreret. Cùm verò is omnia probâisset, Varlaviam reversus, literas, ut vocant, *intromissionis*, à Rege datas Sadorscio transmisit; adjunctis aliis ejusdem serenissimi Regis literis, ad præfectum Resseliensem Ericum Guldenstern datis; quibus mandabatur, ut traditâ Sadorscio Monasterii possessione, rudera aliâque impedimenta, quibus Monasterii parietinæ, frequens incendium jam olim perpessæ, ad horrorem usque squalebant, quantocyus repurgarentur. Hic vero plenus gaudii Sadorscius, eâ ipsâ die, quâ literas acceperat, Resselium profectus, aditâ Monasterii possessione, materiem & operas ad futuram fabricam perquirere; rudera atque veteres inquilinos, qui fixis ubique intra parietinas gurgustis omnia complerant, amoliri; manus denique ipse admovere; urge-re operas, cæteraque omnia conari, ut in proximè venturas D. Joannis Baptistæ ferias (huic enim Templum jam olim dicatum erat) res divina fieri in sacello Templi posset. Et sanè cessit ad vota negotium. Ipso enim D. Baptistæ Natali, prima hostia, tanquam futuræ restorationis pignus, Deo immortalis est litata: tantâ populi frequentia, ut locus multitudinem non caperet; tanto bonorum omnium gaudio, ut lacrymæ ubertim plerisque manarent; quibus id, quod dudum ex animo optâssent, et jam oculis usurpare divinitus esset concessum. Posteaquam igitur Societas

Z

Rel-

Resseii sedem fixit, ut Lindæ quoque figeret Sado-
scius anno proximè consequente, ad ipsas Nor-
Majas, qua die R. P. Nicolao Lancicio Provincia
& R. P. Andrea Klinger, constitutæ jam Resseii Re-
sidentia superiori, Lindæ Marianæ possessionem tra-
diderat, cumulatè perfecit. Juvat è publicis tabulis
ea super re confectis, quæ in rem præsentem factis
producere.

Michaël Dziatynsky, DEI gratiâ Episcopus Hippone-
sis, Abbas Mogelnensis, Suffraganeus, Administrator Vro-
miensis, S. R. M. Secretarius; Notum facio, quorum inter-
est, aut futuris temporibus, quomodolibet interesse poterit,
universis & singulis: Quod coram officio meo, personaliter
comparens generosus Dominus Stephanus Sadorsky, sacra-
regia Majestatis Secretarius, hares in Firstenau; sanus
mente & corpore, non compulsus, nec coactus, maturâ delibe-
ratione præhabita, spontè, liberè, palam, publicè verbis
expressis recognovit, & fassus est: Quia ipse Capellam mo-
natam Lindensem beatissimæ Virginis Mariæ cum adiuncta
domuncula, prope Resseium in Ducatu Prusis, ad fines
provinciales sitam; religiosis Patribus Societatis Jesu, in
re Culmensi perpetuè & irrevocabili dedit, donavit, & in-
scripsit; & in perpetuum iudicialiter resignavit; proinde
nunc dat, donat, inscribit, & in perpetuum resignat. Quam
quidem donationem, inscriptionem, resignationem, nomine
Societatis præfata: Reverendi Patres Nicolaus Lancicio
Præpositus Provincialis eiusdem Societatis in provincia
tuania, & Andreas Klinger Superior Residentia Resseii
præsentes acceptarunt. Intendit præterea idem generosus
Dominus Sadorsky, cum iidem dicti Patres Societatis Jesu
su devenerint, in realem & actualem possessionem bono-

rum, ad dictam Capellam spectantium, ipsis quando placuerit eidem Domino Sadorsky resignandorum & tradendorum, ut annuatim ex iisdem bonis dent, & consignent venerabili Capitulo Cathedralis Ecclesie Varmiensis, quinquaginta marcas Pruthenicales usualis monetae, grossu viginti in marcam computatis; videlicet pro anniversario ipsius Domini Sadorsky viginti marcas, triginta vero marcas pro patrocinio, seu defensione dictae Capellae; quod quidem patrocinium & defensionem ille singulariter venerabili Capitulo praefato, cum primis autem serenissimo Principi, reverendissimo Domino Ioanni Alberto, DEI gratia Poloniae, & Sueciae Principi, Episcopo Varmiensi Domino suo clementissimo, & eius successoribus humillimè commendat. Actum in Castro Heilsbergensi, die septimâ Maij Anno Domini MDCXXXI. Praesentibus admodum reverendo Michaele Schambogen, Canonico Varmiensi Archipresbytero Heilsbergensi; nobili Iacobo Roscikevsky Stabuli Praefecto, Andrea Marquart Proconsule Heilsbergensi, & Cancellaria Heilsbergensis Notario, aliisque pluribus testibus ad hoc rogatis, & requisitis. In quorum fidem, praesentes manu propria subscriptas, officii mei sigillo feci roborari.

Michaël Dziatynsky
Suffrag. Administ. mp.

(L.S)

Andreas Marquart Secret. & Not. Cancellariae Heilsberg. mp.

Z 2

CAPUT

CAPUT III.

Donationem sacelli, & Domus Lindenſis Societati à Sadorſi
etiam, ſereniſſimus Poloniae & Sueciae Princeps Varmienſis
Epiſcopus, & illuſtriſſimus Nuntius Apo-
ſtoliceus confirmant.

NON poterat ſereniſſimus Joannes Albertus
loniæ & Sueciæ Princeps, Epiſcopus Varmie
non magnopere lætari, ſimul atque poſſeſſionem
Monafterii Reſſeliensis, tum ſacelli domus que
denſis à Societate jam aditam intellexit: præter
cùm & Eccleſiæ Provinciæ que ſuæ, & unâ ipſi
que Societati, ea in re proſpectum ſatis intelligens.
Ut enim Provinciæ Eccleſiæ que ſuæ proſpiceret, pa-
ſtoralis muneris ratio poſtulabat: ut verò Societati
quoque proſpectum vellet, amor & ſtudium, quod
in eam, cum lacte materno ſuxerat, eò uſque in
bant, ut etiam paucis poſt annis, ſupra alia beneſici-
domicilio Reſſeliensis, aliquot nummum aureorum
millia, pro futura Collegii fundatione addixerit, ut
ſupremis Teſtamenti codicillis firmavit: quod
tum divinâſſet, Fundationem, quam ipſe inclinatus
à ſereniſſimo Fratre ſuo JOANNE CASIMIRO Rege
(quemadmodum hiſce annis, DEI gratiâ, factum vi-
dimus) abſolvendam. Neque verò leviter, ad abſol-
vendam fundationem illa ſereniſſimi Principis libe-
ralitas conduxit: nam & è cenſibus ad Annum
MDCXL. illâ ex ſummâ provenientiſibus, prædiale
Lindæ vicinum, Skatnub in Ducatu ſicum fuit ex-
ptum: & nunc ipſa ſors, quæ potiſſimum apud Dom-

nos Creutzios super fundum Hausdorfenlem erat
 sita, unâ cum residuis censibus vindicata, ad compa-
 randi alterius prædii usum faciet. Cæterùm, ut seren-
 issimus Princeps, Deiparæ quoque Lindensis cul-
 tum, per Societatis operas promoveret, serenissimo-
 rum parentum, totiusque regiæ domus, exempla
 provocabant. Obversabantur illi ob oculos, quæ se-
 renissimi Parentes, quæ serenissimus Frater Uladis-
 laus, uti libro superiore vidimus, in causa Augustæ
 Virginis Lindensis egissent, ut locum sacrum vindi-
 catent; non poterat quocirca non adniti, ut quæ illi
 tanto studio atque industria vindicassent, ipse facta
 tecta conservaret. Quod cum operâ Societatis non
 leviter fieri posse confideret, Donationem Societati
 à Sadorscio factam, non ratam modò atque gratam
 habuit, verùm & literis publicis, quas libro quoque
 superiore produximus, stabilivit. Ne quid porrò ad
 causæ firmitatem, securis præsertim temporibus,
 desiderari posset, accessit per illustrissimum Nuntiu-
 um, ad eam donationem Societati factam, sedis A-
 postolicæ robur atque autoritas. Operæ precium
 est literas eam in rem publicè datas, è Tabulario no-
 stro hic producere.

Marius Philonardus, DEI & Apostolica Sedis gratia, Episcopus Avenionensis & Princeps, sanctissimi D.N. Urbani VIII. Prælatus domesticus & assistens, nec non eiusdem sanctissimi, & sedis prædictæ, ad Vladislaum IV. serenissimum Poloniarum & Sueciæ Regem, cum facultatibus de latere Nuntius Apostolicus.

UNIVERSIS & singulis, presentes literas inspecturis, salutem in Domino sempiternam. Ex commisi nobis deper ab Apostolica sede, cuius autoritate in hac parte fungimur, officii debito; Ecclesiarum quarumlibet utilitati favorabiliter intendentes, ut, ea quæ piè facta esse, noscuntur firma, perpetua, & illibata persistant, libenter Apostolice munimine roboramus. Exponi siquidem nobis fecerunt dilecti in Christo Patres Societatis Jesu Residentiæ Resseñensis: qualiter generosus Dominus Stephanus Sadorsky S. R. Maiestatis Secretarius heres in Firstenau, Capellanus in curia tam Lindensis B. Virginis, cum adiuncta domuncula ipsius perpetuò & irrevocabili iure, dedit, donavit, inscriptis, & iudicialiter resignavit; prout in instrumento de super expresso dedito plenius continetur, cuius quidem instrumenti tenor sequitur, & est talis.

Michael Dzialinsky DEI gratia Episcopus, &c. & quæ insuper eo instrumento contenta, à nobis capite proximè præcedente, inde allata sunt.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, dicitur exponentes cupiant instrumentum prædictum, pro illius meliori subsistentia, Apostolice munimine roborari; Nos in replicationibus, pro parte dictorum Patrum Societatis Jesu

Residentie Resseliensis, nobis super hoc humiliter porrectu,
inclinati; ac ipsius utilitati opportunè consulentes, instru-
mentum prædictum, & omnia in eo contenta & descripta,
Apostolicâ authoritate, tenore præsentium approbamus,
confirmamus, eisquæ Apostolica firmitate robur adiicimus,
ac tam Patres Societatis Jesu, quam dictum D. Stephe-
num Sadersky, ad illius observationem teneri, & obligatos
fore, & esse, pro ut iuris, respectivè decernimus. Datum
Varsavia decima Februarii; Anno Domini millesimo sex-
centesimo trigesimo septimo.

Sic causa fundi Lindensis, ad sola Catholicorum
tribunalia pertineret, satis illi hæctenus, ne quid pa-
teretur detrimenti, prospectum videri poterat: sed
quia fundus ille, intra Ducatus Prussiae limites posi-
tus, aliorum quoque judiciis obnoxius est, Sador-
scius, qui non minùs ingenio, quàm longo usu atque
exercitatione, maximam juriur Prussiae scientiam
assectus erat, huc quoque oculos intendit; &, ut fu-
turis quoque periculis, quoad posset, occurreret, ve-
nerabili Capitulo Varmieni, cui ad retundendos
quorumvis adversariorum impetus atque molitio-
nes, satis noverat & virium esse, & sapientiæ, patro-
cinium atque ius Lindæ commisit. At venerabile
Capitulum, patrocini jure sibi retento, domini
usum Societati, uti jam narrandum est, conces-
sit.

CAPUT IV.

Venerabile Capitulum Varmiense, prævio Sedis Apostolicæ consensu, pro suo quoque iure, Fundum sacello Lindensi adjacentem, Societati attribuit.

Quantopere in vindicanda, stabilienda, atque ornanda Linda Mariana certasse inter se visis tantum serenissimi Poloniarum Reges atque Principes, tum illustrissimi Episcopi Varmienses, satis jam ante spectatum fuit. Ad certamen ita pium, pro eo, quo in Deiparam semper fuerunt studio, atque pietate, per illustres, reverendissimi, & admodum reverendi Domini, Prælati, atque Canonici Varmienses, non postremi ita accesserunt, ut simul illud, quo minimam Jesu Societatem perpetuò complexi sunt, studium, benevolentiam, atque beneficentiam unâ testarentur. Ferebatur vulgi famâ, quasi nonnulli ea, quæ Sadorfcus jam Societati contulerat, intervertere molirentur. Id ubi ad R. P. Jacobum Lachowsky Provincialem, & per illum, ad venerabile Capitulum est perlatum, continuò hisce ad eum literis, exaggeratæ, ut semper, in Societatem voluntatis plenissimæ ad xiv. Cal. Majas, Anni MDCXXXVI. datis esset sponsum.

*Admodum reverende in Christo Pater,
Pater observandissime.*

Prius quàm literis admodum reverendæ Paternitatis vestræ moneremur, jam firmiter apud nos decrevimus nihil contra inscriptionem Societati, semel à generoso Domino Secretario Sadorsky factam attentare velle, nec juri posse.

Fundus facello adiacens Societati à ven. Capit. Varm. attributus. 167.
posse. Deterrent quin etiam nos, tam praclara & salutaria,
de hoc Episcopatu ejusdem Societatis merita, ita, ut ingrati
omnino effemus, si nō ampliora eidem incrementa optemus;
nedum ut tam tenuem accessionem invidiamus. Vt porro &
generosus Dominus Secretarius accommodetur, & certi
tandem aliquid, de ipsius voluntate constet, expediemus
Heilsbergam in certo negotio, ad diem XXVI. Aprilis ad-
modum reverendos Dominos, Dominum Praepositum, &
D. German; quibus pariter jam commisimus, ut eadem ope-
ramemoratum D. Secretarium conveniant, ac omnia pla-
nent. Illis, ut admodum R. P. V. comitem se faciat, consul-
tum nobis videtur; neque enim de felici dubitamus effectu,
cui studia nostra impensè deferimus. Varmia 18. April.
1637.

Adm. R. P. V.

Observantissimi

Fralati & Canonici
Ecclesiae Cathedralis
Varmiensis.

Neque secus venerabile Capitulum, ac literis scri-
ptis promiserat, reapse fecit. Fundum enim univer-
sum Lindensi adjunctum facello, quem Sadorscius
memoratas ob causas (tum Regiomontana Anni
MDCXXXVI. die VII. Sept. tum Seeburgensi die XVIII.
Decemb. transactione) illi addixerat; Societati per-
petuis temporibus utendum fruendumque attribuit
quàm liberalissimè; palàm ac disertis prosum verbis
profitendo, non posse se, pietatis aliena fidei commissum
tueri melius, quàm si divini Numini gloria, & cultui pro-
pagando ab se reddatur. Quam quidem eximiam ven.
Z s Capi.

Capituli benevolentiam atque beneficentiam, non modò illustrissimus Episcopus Varmiensis Nicolaus Szyszkowsky, verùm & sanctissimus Pontifex Urbanus VIII. pro sua quisque authoritate, singularibus diplomatis stabilivit. Præstaret literas, universam hanc causam concernentes, quæ intra reliqua Lindenæ monumenta sanctè asservantur, hoc loco profertur nisi moles præsentis operis plus æquo augenda intercederet. Satis igitur fuerit summi Pontificis litera (quæ, quemadmodum cæteris omnibus vim addunt quàm maximam, ita seriem quoque illarum compendio retexunt) duntaxat recitare.

Urbanus Episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Officiali; venerabilis fratris nostri Episcopi Varmiensis, salutem & Apostolicam benedictionem. Ex iniunctis nobis de super Apostolica servitutis officio, his, quæ pro divini cultus augmento, ac fidei Catholica propagatione, provide facta dicuntur, ut perpetuò valida & efficacia persistant, libenter, cum à nobis petitur, Apostolici mandamus ad iuramentum firmitatem. Exhibita siquidem nobis nuper, pro parte dilectorum Filiorum, Capituli & Canonicorum Ecclesie Varmiensis Dioceseos, petitio continebat: Quod alias Capitulum & Canonici quibus alias quodam Capella non collativa, B. MARIE Virginis Lindensis, in Ducatu Prussia hæretico dictæ Dioceseos, per dilectum filium Stephanum Sadowsky Secretarium, charissimi in Christo Filii nostri Polonia Regis, & dictæ Capellæ Patronum, legitime donata fuerat, considerantes eandem Capellam (quæ ob continuam inibi patrari solita miracula in magna veneratione à fidei populo habetur) ab eorum Ecclesia & Capitulo longè distare, ipsosque non posse, ob distantiam ibi officia

sacra

sacra peragere, & conversioni hæreticorum attendere, Capellam præfatam aliàs Patribus Societatis JESU canonicè concessam, & usum fundi adiacentis, cum agris, pratis, sylvis, & taberna, ad ipsam legitimè spectantibus, in quorum pacifica possessione existebant, & ex quibus omnibus decem circiter ducati auri de camera annuatim percipiuntur, præfatis Patribus, tanquam dictæ Capellæ vicinis & fidei Catholica in illis partibus promotoribus, reservato eidem Capitulo directo dominio, & cum hoc, quòd dicti Presbyteri Societatis JESU, teneantur ad omnia onera dictæ Capellæ incumbentia, ac restorationem, ac manutentionem illius, & adificiorum, & aliàs, pro ut in scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri, de licentia ordinarij perpetuò concesserunt. Cum autem, sicut eadem petitio subiungebat, concessio huiusmodi pro felici servitio dictæ Capellæ ac fidei Catholica propagatione, facta esse dignoscatur; Ideo pro parte Capituli & Canonicorum, nec non Presbyterorum Societatis JESU præfatorum nobis humiliter fuit supplicatum, quatenus illam approbare, & confirmare dignaremur. Nos igitur, qui devotionis Christi fidelium, ac piorum operum augmentum nostris potissimum temporibus sincerè exoptamus affectibus: Capitulum & Canonicos, ac Præfatos Presbyteros, eorumq; singulares personas, à quibusvè excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & penis à iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latæ, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, discretioni tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus constituto tibi legitimè de narratis, & præsertim quod Capellæ præfa-

præfa-

prefata non sit collativa, aut in titulum beneficii collativi
 erecta, seu conferri solita, illaque & alia, illi ut supra
 annexa, ad Capitulum & Canonicos prefatos legitimè
 spectarent, concessionem prefatam, & prout illam concer-
 nunt, desuper confectas scripturas, & in eis contentas,
 quacunque licita tamen, & honesta, cum omnibus &
 singulis, inde legitimè secutis, Authoritate nostrâ perpetuâ
 sine alicuius præiudicio, ad partium supplicationem appro-
 bes, & confirmes, eaque inviolabilis Apostolica firmitate
 robur adicias. Non obstantibus constitutionibus, & ordina-
 tionibus Apostolicis, ac dictæ Ecclesie iuramento, confirma-
 tione Apostolicâ, vel quâvis firmitate aliâ roboratis, statutis,
 & consuetudinibus, ceterisque contrariis quibuscunque.
 Datum Roma apud sanctam Mariam maiorem Anno in-
 carnationis Dominicæ millesimo, sexcentesimo, quadragesi-
 mo, Idibus Septemb. Pontificatus nostri Anno decimo octavo.

Cæterùm, quid Albertus Rudnicky Præpositus
 & generalis Vicarius Varmiensis, ex mandato S. Se-
 dis Apostolicæ pridie Cal. Decemb. Varmie; quid
 Lucas Gornicky Decanus & Canonicus Varmiensis
 xvii. Calend. Januariæ ejusdem anni, in præleno
 causa egerint; publicum à Valentino Ludicio, fac-
 Sedis Apostolicæ Authoritate Notario, confectum
 instrumentum cumulatè docent. Rem verbo; Colle-
 gium Resseliense Societatis Jesu, positi ad Lindam
 Marianam fundi, etjam ven. Capituli Varmiensis
 suffragio, prolixissimaque semper in Societatem vo-
 luntate ac beneficentiâ, possessionem illo ipso tem-
 pore adiit: quâ, Dei beneficio, ita fruitur, ut per il-
 lud rerum temporalium incrementum, securius mul-
 tò & quietius, apud Lindam Marianam divinas rec-
 curet ac promoveat.

CAPUT

CAPVT V.

Sacellum E. V. Lindensis, sacris BB. Martyrum Symphoriani & Liberatae Lipsanis, veri & Christi Crucifixi effigie, quamvis ad aspectum rudi, miraculi tamen gloriâ illustri auctum.

Quod de augustissima Numinis parente universim Græca in Menæis (a) canit Ecclesia, cani etiam de Lindensi Deipara, suo quodam jure, potest: videlicet, illud æterni Patris verbum, absque ullâ virginitatis corruptione Tabernaculum in MARIA fixisse; ad quod præcellentem Martyrum chorum, qui præconum instar, illam veram DEI Matrem depradicant, attraxerit. Nam & ad Lindense Virginis sacellum, è sacro illo Martyrum choro, tanquam ad quoddam divinitatis Tabernaculum v. Non. Julii Anni MD CXXXI. attracti sunt sancti Symphorianus & Liberata: sive, ut, quemadmodum in cælo, ita & in terris, communi cum Regina Martyrum frueretur gloriâ; sive ut suæ, omniumque Martyrum, ac Sanctorum Reginae tanquam familiares præstò adessent Palatini. Quâ porrò hominum pompâ gaudio, ac veneratione, sacra Martyrum Lipsana deportata Lindam fuerint, quoniam illo jam tempore res literarum monumentis fuit tradita, eadem ego fide, quin & verbis iisdem, ne quid vel de authoris, vel de historiae veritate videat deterrere, hîc prodam:

v. No-

(a) μή διαφθείρας τὴν παρθενίαν ὅπως τὴν σὴν, λόγῳ τῆ πατρὸς, ἐσκήνωσεν ἐπὶ σοὶ, ἢ μαρτύρων ἐπέσπασατο χορὸν αἰοίδιμον, θεοτόκον αἰγὴν σε κηρύττοντα. apud VV agnereck. num. 281.

V. Nonas Iulii, Anno 1631. Dies triumphali sacrorum
Lipsanorum translationi, definitus est in districtu Resselie
si, proximus à visitante Elizabetham Virgine; nam ipsis au-
gustissima Virginis feris concedendum aliquid fuerat inu-
sitate & flagrantissima hominum pietati, undique ad cle-
mentissimam Lindensis Oratorii Præsidem concurrentium
partim ut incenso supplicis animi cultu, optata desiderii
rum beneficia, communi miserorum Matrigati reportar-
rent; partim ut temporaria, simul & æterna divina liberali-
tatis munera, interventu pientissima Domina exposcerent,
suisque necessitatibus compararent. Numerus concurrentium
pro tunc multitudinis fere quinq; millium erat. Quadrin-
genti diurno refecti epulo, singularia eo loci, sua in DEUM
ac Virginem Matrem studia, ac venerationem sunt attesta-
ti. Iter suum orsa est processio ab oppido Besteinensi, duobus
milliaribus Resselio disito, in ipsa visitantis DEIPARÆ festi-
vitate, post vespertinam divini officii Psalmidiam, fre-
quenti incolarum confluxu & comitatu; multisq; inusitata
devotionis argumentis. Deferebant sacratissima Martyrum
ossa, bini Presbyteri, qui gravem urontis solis æstum, & mul-
tiplices longinqui itineris molestias, strenuè sequaci & mor-
rigerâ cum turba pedes confecerunt (nec enim vacillâ
gressu poterant, quos pernix animorum in DEUM, super-
que affectus, pro vexerat) univèrse verò via tedium indesti-
sa divinarum laudum, ac piissimorum concentuum vigili-
tudine allevabant. Medio in itinere Paracia Glockstein-
sis, pulchro ceremoniarum ritu Martyribus obviam proce-
dere, novisq; in superos fungi officiis, & singularem illis hon-
nozem, sacra in ade habere visa est. Mox inde pari venera-
tione discessum, & quasi de integro, concentu vario, prio-
re q; ordine, præcipiti iam ad vespertinam die, Resselium
itum. Consultum antè Resselii fuerat, quid è triumphali

divorum honore esset; ergo ubi Campanis signum datum,
 cives militari ordine & apparatu, labaro civitatis praeunte
 obviam exire; alii, ut collegiati opifices, ceroferaria circi-
 ter quinquaginta eleganti opere splendida deportare, tota
 in occursum effundi civitas, clero cum choro praeunte. Vbi
 iam beatissima lipsana, cernuus extra mania populus susce-
 pit, enea sistrula fragore bellico triumphum sonare; & redue
 congratulantium agmen ad civitatem redire capit. Et quia
 succedente nocte, maior usus aurium, quam oculorum fuit,
 commovit festivus campanarum pulsus, iteratus crebro
 sclaporum sonus, & suave canentium melos, praesentium
 animos in attentorem procedentium in triumpho Marty-
 rum venerationem. Iucundum erat intueri civilem cohor-
 tem, ordine longo, praeforibus Templi Parochialis disposi-
 tam, cum iam limen adis sacrae gloriosi Cineres subirent,
 uno quasi igne crepusculum illustrare, & fragore non inter-
 rupto per sonare, ipsum vero Templum ad ingressum sacro-
 rum Corporum luminaribus undiq; praesulgentibus, trium-
 phali quodammodo ardere incendio. Conclusa est diei illius
 cum nocte solennitas; Postera luce horis sub lucano, ad soni-
 tum campana excitis hominibus, primoque re divina facta,
 novus cum sacro reliquiarum deposito, progrediendi modus
 innovatur; praebant signorum paria aliquot, pone studiosa
 Inventus, elegantiori vestrum ornatu, & torquibus insignis;
 palmas manibus praeferens, sequebantur Presbyteri nume-
 rosi; quos rei dignitas ad divorum cultum e vicinis convoca-
 verat, multiplici sacrarum rerum apparatu instructi; Ho-
 rum unus, proximè sequentibus, triumphantibus Imperato-
 rum corporibus grato odore thuris honorem faciebat. Ibat
 deinde cum primoribus civitatis non impigris passibus Magna
 & Gen. Dominus Sadorsciis S. Regia Maiest. Secret. strenuus
 sacra

*sacra Translationis propagator. Hic triumphale iter
 steino pedibus infirmis ingressus, fortiter Lindam pede
 terminavit. Inter viam profundum animi silentium, &
 gularis omnium in superos cultus elucebat: alii precatori
 versabant sphaerulas, alii caelestium rerum studio, ac con
 mentatione detinebantur, omnia concentu musico persfru
 pebant. Postquam verò religiosissimum Lindensis Virgini
 sacrarium attingissent, eleganti variaque rerum sacra
 suppellectili ornata resplenduit ades: plurima in auro, &
 argento diva Matris, divorumque simulacra effulsere. Sacra
 li parietes pulchro imaginum, & peristromatum ornata
 vestiti enitebant. Post decantatum sanctorum Ambrosii &
 Augustini hymnum Ecclesiastes gloriosum Martyrum tri
 umphum, disertè venusteq; ad populum celebravit, tum pra
 sentissimum ei loco DEUM, novosque calites salutaris divina
 hostiae immolatione sanctè colere, & suavi instrumentorum
 vocumque symphoniam venerari caperunt. Vbi litatum liba
 tumque DEO, selecta è studiosorum numero iuventus, in
 loco eminentiore, purpuratos mundi victores, elaboratis
 varieque ingeniosis, praeunte & sequente choro, deventu
 ta est congratulationibus. Posthac alii presbyteri sacra
 rati, martyrum honorem re divinam promoverunt, & tunc
 Lindensi Capitolio invicti Imperatores triumphum
 concluderunt. Non omittendum inter alia videtur evide
 ntissimum miserti mortalium Numinis argumentum, quod
 non dubiè efficacibus novorum Patronorum suffragia Res
 selum excepit. Nam cum nimiam vi urentis solis, ac calor
 prata frugesque languerent, ac arescerent, nec tellus arid
 pluvis immadere possset, in sequente nocte post dictam
 rum cinerum translationem, etiam calum vim
 quando ita terra conveniebat dimisit, roremque concepit.*

Nimirum novum diurnae opitulationis asylum, felix beatorum Martyrum depositum, Lindensi contulit celebritati.

Prævium beatorum Martyrum, quasi anteambulorum aut servorum gradum, proximè secutus, & Lindam Marianam, in sua Effigie, ingressus est ipse Dominus. Ingressus, inquam, eâ quadantenus, quâ olim in mundum venerat, hoc est, vili & abjectâ specie: sed quæ multò, uberius quàm vel Brutiscipiones, vel Sileni Alcibiadis, contineret ipsius divinitatis aurum. Rudis equidem est ad aspectum Christi Crucifixi effigies; sed quæ, ob præsentem illius, quem refert, majestatem, eximium de hæresi jam egit triumphum. Nimirum, uti vetus illa Deiparæ Lindensis imago (quemadmodum libro primo vidimus) de gentiliū idololatriâ tot antè seculis, & postmodum de nascente in Prussia hæresi, superiore seculo triumphavit: ita decebat recurrente seculo eundem, de eadem hæresi, non jam in Deiparæ, sed in ipsius Crucifixi DEI imagine triumphum restaurari. Sicut autem illa, ita & hæc apud Lindam Marianam, quasi triumphalem quendam sibi videtur Arcum delegisse: ita ut sicut divino placitum fuit Numini, Lindam per Sadorscium instaurari, ita per Sadorscium videatur placuisse triumphantis, Christi apud Lindam statui signum. Qua de re, non me, sed ipsum in publico loquentem monumento Sadorscium, juverit audire. Sic enim ille:

Ego Stephanus Sadorsky sacrae regiae Maiestatis Secretarius, ad perpetuam rei memoriam testatum esse volo, coram illustrissimo & reverendissimo Domino, Domino Nicolao Szyszkowsky Episcopo Varmiensi; me donasse Patri-

bus Societatis JESU Residentie & futuro Collegio Resse-
 liensi CHRISTI crucifixi ex ligno sculpti antiquissimam
 Imaginem, ab hereticis surreptam in ducali Prussia, mibi
 que allatam à generoso Domino Melchior Lesguan, heredi-
 tario in Zanderbork; pro Aede sacra, magnis miraculis
 illustri B. Virginis MARIAE Lindensis; quam quidem ima-
 ginem seu statuam CHRISTI crucifixi sine cruce (cui
 modò affixa est) heretici in ducali Prussia, ex odio Religi-
 nis catholicae, tanquam objectum & fomentum idololatriae
 papisticae (ut illi appellant) conati sunt non semel combure-
 re; & quamvis in varios ignes eam coniecissent, nunquam
 potuit ab igne ullam injuriam & lesionem, immo denigra-
 tionem pati; confirmante DEO divinitus hoc miraculo, ve-
 ritatem fidei catholicae, de sacro usu & cultu imaginum
 sacrarum. Quod miraculum conservata in igne, sine ulla la-
 sione dicta sacrae statuæ, ipsi heretici in ducali Prussia, mibi
 cum magno & sincero, cordis affectu, confessi sunt; præse-
 rim dictus, generosus Dominus Melchior Lesguan; qui co-
 ram illustrissimo & reverendissimo Domino Simone Rud-
 nicki bon. mem. Episcopo Varmiensi defuncto, publicè
 multis Catholicis & Hereticis presentibus, & id audien-
 tibus, confirmavit. In quorum fidem hoc testimonium dedi,
 à me subscriptum, & sigillo meo roboratum. Resselii Anno
 christiana salutis 1634. die 19. Octobris.

(L.S.)

Stephanus Sadorsky
 S.R.M. Secretarius
 manu propria.

CAPUT

Beneficia, quibus Linda

C A

Linda Mašina, majore, qu
 nom beneficiorum
 dorum causâ, a
 mienli
 ad

Quod in arborum
 morum solet usu
 ac herbis, ab horto
 obveniunt, sed non p
 na atque industria.
 stolonum, suffraginur
 morum, frondium,
 ars quantum conduci
 la, cum pietatis ac reli
 te, magnitudine, ac
 florum; tamen ubi no
 accedat, non modica
 rem fidam, viderur ip
 perientia loqui. Qu
 tra atque operariis a
 ti ac Deiparæ major
 gitas atque clem
 vant tum animi, tum
 cia. Et quidem, quod
 rationum que gratiæ,
 estabuntur; quæ ve
 pite paucis libabur
 ne fatendum est, in
 longè pauciora, quâ e
 a. Nam ut curationu

CAPUT VI.

Linda Mariana, majore, quàm enarrantur, aut enarrari queant, divi-
 norum beneficiorum ubertate efflorescit; quorum consignandorum causâ, ab illustrissimo Episcopo Varmien-
 si cura atque industria
 adhibita singularis.

Quod in arborum aut florum, hoc & in cultu animorum solet usu venire. Multa arboribus juxta ac floribus, ab horrorum, glebæ, & soli sæcunditate obveniunt, sed non pauciora propè à cultorum manu atque industria. Vel ipsa putandi, & non modò stolonum, suffraginum, pullorumque, verùm & ramorum, frondium, florumque luxuriam castigandi ars quantum conducit! semper quidem Mariana Tilia, tum pietatis ac religionis gloriâ, tum multitudine, magnitudine, ac varietate miraculorum eximie floruit; tamen ubi non ignava operariorum cultura accessit, non modicam in utroque genere accessionem factam, videtur ipsa quoque res atque omnium experientia loqui. Quod si fortè nihil à Societatis opera atque operariis accessit, tanto nihilominus est Dei ac Deiparæ major atque uberior in homines benignitas atque clementia, quantò majora in eos derivant tum animi, tum corporis hoc tempore beneficia. Et quidem, quod attinet corpus, sanitarum, curationumque gratiæ, quæ jam referentur, abunde testabuntur; quæ verò animum spectant, proximo capite paucis libabuntur. Illud in antecessum ingenuè fatendum est, in utroque beneficiorum genere, longè pauciora, quàm evenerint, literis fuisse consignata. Nam ut curationum gratias, corporumque beneficia

duntaxat expendamus, ad ea, quæ operarii nostri consignârunt, plurima in anathematis, ipsisque adeo, quæ plurimæ sunt, tabellis argenteis reperio, quorum apud illos ne quidem mentio facta. Quàm multa, inquam propè innumera oportuit esse, quæ vel cereis icunculis, vel aliis monumentis expressa, unâ cum cera difflexerunt, atque ex hominum sunt memoria abolita! Quàm multa, quæ neque cerâ, neque argento, aliove metallo signata, simplicitas & ruditas platorum, citra memoriam notitiamque hominum propemodum in auras dissipavit! Quàm multa, quæ etiam ad notitiam deducta fuerint, vel ob accumulatos operariorum labores, & perpetuam, solennioribus maximè diebus, maximoque populorum confluentia irrequietem, vel denique ob aliquam ipsorum operariorum incuriam, prætermissa sunt! Ego quidem, quantum in me est, maximo cupiam opere, & verè præsentibus æquè, ac posteros enixissimè orem; ut, quemadmodum in omni animorum cura atque cultu, labori minimè parcunt, ita sint, in adnotandis, quæ Dei beneficio apud Lindam eveniunt, paulò accuratiores. Sit nostris, qui jam decesserunt, majoribus venia, quibus curæ erat, ut (cum Tullio (a) loquor) *in agendo plus, quàm in scribendo opera ponerent*: at nobis perinde haud potest esse, quibus, ut vires sunt multo auctiores, ita & *frangere panem, & fragmenta, ne præeant, colligere*, vehementer incumbit. Quantum in me fuit, ne hac quidem in parte, labori parcendum statui; sive nostrorum commentarioli, si qui superessent, evolvendi forent; sive anathemata & votivæ res

(a) *ad initium 2. Officiorum.*

Beneficia, quibus
bellæ perlustrata
tum illic, erant
fuit. Si quid in
nem unâ me
adjuverunt, v
runt. Caterùm
(si quidem gra
gratiæ, illustr
Varmienti W
quæ est in Dei
quæ vel incu
propè interci
duxit, Dei ac
quis enim po
innumera; &
Varmia, tot
rales illius co
sint, quàm n
tra Varmien
thoritate qu
fuerit, de his
e venerunt, a
cyclicæ, que
litera, ad
universum
ta, plurim
quidem m
presbyter
nobis loco

bella

bellæ perlustrandæ; sive denique de iis, quæ tum hic, tum illic, erant accuratiùs enarranda, disquirendum fuit. Si quid in me, quoque fuerit desideratum, rationem unà mecum ii reddent, qui vel satagentem non adjuverunt, vel etiam facultatem satagendi ademerunt. Cæterùm ingentes debentur, atque æternùm gratiæ, illustrissimo S. R. I. Principi, atque Antistiti Varmiensi Wenceslao Comiti de Lesno; qui pro ea, quæ est in Deiparam Lindensem pietate, pleraque, quæ vel incuriâ hominum, vel temporum injuriâ propè interciderant, quasi è tenebris in lucem produxit, Dei ac Deiparæ beneficia. Pleraque, inquam, quis enim possit omnia? cùm & ipsa sint in se prope innumera; & mortales, qui ea sunt experti, ab ipsius Varmia, tot & tam vastis se juncti provinciis, pastorales illius cohortationes, ac vocem, magis non possint, quàm nolint audire. Vex iis duntaxat, quæ intra Varmiensis diœceseos quasi pomæria, jussu auctoritate quæ illius sunt consignata, haud difficile fuerit, de iis quoque, quæ disjunctissimis inde locis evenerunt, æstimare. Ut portò consignarentur. Encyclicæ, quemadmodum vocant illustrissimi Pastoris literæ, ad omnes Archipresbyteros, & per eos ad universum Clerum, populum quæ Varmiensem datæ, plurimum adjuverunt; quarum exemplum, cujus quidem me admodum reverendus Dominus Archipresbyter Elbingensis participem fecit, par est hoc à nobis loco recitari.

Venerabili in Christo, *Fridrico Meibohm* Archipresbitero Parocho Elbingensi, devotè nobis dilecto.

Venerabilis in Christo, devotè nobis dilecte: *Estro*, & communis omnium vestrum, in DEUM & augustam DEI Matrem pietas atque religio postulat, quidquam, quod conservando augendoq; DEI cultui opportunum videretur, negligamus. Cum igitur magna, & varia DEI opera, qua DEUS per Deiparam, etiam apud Sacrum Lindense sacellum, operari propè indies dignatur, ac cultum & gloriam DEI literis consignari, & publica committi luci expediat; constet autem plurima DEI beneficia, qua partim in eo ipso loco, partim ex voto ad illum suscepto, alibi fidelibus DEI populis evenerunt, neque ab illis prodita, aut manifestata; neque proinde a quoquam literis excepta esse: Fraternalitatis jam tuae partium erit, non modo per se in suis, verùm & per subordinatos sibi, Parochos ac sacerdotes, in ipsorum Ecclesiis, fidelem populum edocere, & singulari commonefacere studio, ut, quidquid usquam beneficii aliquis, apud beatam Virginem Lindensem experitus est, si praesertim id necdum literis consignari curavit, Fraternalitas tua, & subordinati Parochi consignent, & ad Patrem Thomam Clagium Societatis JESU, Rescriptum quantocytus transmitti curent. Colligenda enim sunt fragmenta, ne pereant; quibus populi fideles, & ad futuram, & ad presentem quoque vitam educantur. Bene de cetero valeat. Smolani die 23. Sept. 1654.

Venceslaus de Lesno
Episc. Varm. m. p.

Quan-

Quantum hæ literæ habuerint ponderis, quintus huius operis liber, abunde exhibebit. Tamen enim pauci admodum ex Archipresbyteris & Parochis (sive id aliquâ ipsorum oscitantiâ sive potius, ut ego quidem censeo, subjectorum ipsis populorum subrusticâ e venerit verecundiâ) ea, quæ jussi fuerant, consignarint, aut consignata ad nos miserint; ipsi tamen homines Lindam è Varmieniensi dicecesi quotidie frequentantes, tum illustrissimi Pastoris sui literis, tum lacris operariorum Lindensium quæstionibus excitati, divina, quæ in se experti sunt beneficia, alacrius juxta ac uberiùs percensent, ut vix tempus connotandis omnibus suppetere queat.

C A P U T VI.

Ex votivis tabellis, aliisque id genus anathematis, multitudo, magnitudo, & varietas, beneficiorum divinatorum per B.V.Lindensem hominibus præstitorum æstimatur.

Quantquam ea, quæ animum concernunt, divinitus collata beneficia, eximiè cæteris præstant; quia tamen ea, quæ corporibus, supra vires spesque humanas exhibentur, in oculos vulgi magis incurunt, magis etiam solent ejusdem vulgi commovere animos. Quo etiam fit, ut & memoriæ tenaciùs hæreant, & tum voce, tum literis ad posteros faciliùs propagentur. Neque defunt, qui suis & posterorum temporibus, æterna acceptorum divinitus beneficiorum velint monumenta superesse. Hinc alii, quorum facultates ita ferunt, auro vel argento; alii ære vel marmore, vel alio metallo signata,

post se relinquunt; & Jobum fortasse sigillatim im-
 tati, apud se taciti loquuntur; *Quis mihi tribuat, ut scri-
 bantur sermones mei? quis mihi det, ut exarentur in li-
 stylo ferreo, & plumbi laminâ, vel cæte sculpantur in silice.*
 (a) Quatuor nimirum graduum scala cum Jobo, ut
 interpretes observat Jacobus Bolducius ad hunc lo-
 cum vota provehunt sua: ut videlicet à privato
 singulari aliquo viro, gestæ res ac sermones notentur
 ut publico notarii aut scribæ publici instrumento de-
 gerantur; ut non in vulgari scribarum charta, aut
 membranis, quæ corrodi & vetustate consumi pos-
 sunt, sed in plumbeis laminis stylo ferreo exarentur
 denique ut marmoribus & ipsis quoque silicibus scul-
 pello quàm altissimè insculpantur. Quod si tantorum
 compotes votorum esse nequeunt, aliis quibus pos-
 sunt, monumentis rem ad posteros consignant. Quæ
 quidem inter monumenta facies humana argentea,
 & auris, atque insuper mala dextra itidem argentea,
 unius pluriumve palmorum excedens longitudinem,
 quid aliud loquuntur, nisi & aurium, & capitis, & fa-
 ciei depulsos, ope Deiparæ, dolores atque morbos.
 Quid oculorum quinæ effigies itidem argenteæ, aut
 aut visum cæcis restitutum, aut epiphoras, glaucoma-
 ra, lippitudines, ophthalmias, & id genus oculorum
 vitia atque suffusiones, ejusdem Deiparæ auxilio
 sublata? Quid gemina, propè ad cubiti longitudinem
 fusa ex argento brachia? quid ternæ ex argento quo-
 que laboratæ manus? quid quini supra vicenos, ex ar-
 gento pedes, quorum aliqui è solido fusi metallo, alii
 cubiti integri, alii dimidii referunt magnitudinem
 quæ

(a) *Iob 19. 23.*

quid insuper denæ cordis humani argenteæ effigies, duorum aut lesquipalmi magnitudine; nisi aut cordis, aut pedum, aut brachiorum, manuumvé languores, cruciatus, ægritudines, ægrotationes, & varia testantur ope Deiparæ profligata symptomata? Denique quid votivæ ex argento tabulæ aut tabellæ, quarum non pauca cubiti longitudinem, latitudine longitudini accommodatâ, faciliè attingunt; aliæ plures, aut pedis geometrici, aut palmorum aliquot magnitudinem exæquant? sunt propè centenæ ac quinquagenæ, quæ vel expressam, vel duntaxat tacitam, literis quibusdam aliisvé notis inscriptis, acceptorum beneficiorum speciem, magnitudinemque testantur: at plurimæ aliæ vel literarum nullum referunt vestigium; vel quid per insculptas divorum imagines loquantur, etiam curioso lectori non satis aperiunt. Testantur nihilominus etiam istæ, neque sine causa gravi, neque sine prævio DEI ac Deiparæ singulari beneficio, ad eum se locum fuisse delatas, & memoris gratique animi ergo appensas. Neque aliud loqui videntur coloribus expressæ tot, & tantæ imagines: quarum vix aliquæ, curationis, beneficii, muneris que divinitus accepti, literis signatas referunt rationes: & tamen, cum tot sint, ut intra sacellum iis locus jam non supersit, adeoque tum in porticibus, sacellum undique cingentibus, tum in ipsa sacrae supellectilis camera necesse habeant defigi, omnes nihil aliud tacite loquuntur, nisi maximam augustæ Virginis Lindensis liberalitatem, gratias, & beneficia. Ad extremum, factæ ex cera formæ atque effigies, prorsum in-

numerae, quid aliud videantur loqui? Præter eas, quæ
 majore aliquanto temporis intervallo, suis disposita
 locis, intra sacellum visuntur; videas propè quotidie
 hinc formatas ex cera manus, pedes, aliosvè artus, in-
 de verò totius corporis humani deferri simulachra:
 manifesto utique, proffigatorum ope Deiparæ, aut à
 toto corpore, aut quibusdam membris sensibusvè
 morborum argumento Videas inde plurimas equo-
 rum aliarumvè animantium cereas formas apporari:
 non alio sanè, quàm morborum & calamitarum, à
 vario pecore, variè beneficio Deiparæ depulsarum
 indicio. Denique videas & tectorum, & ædium, &
 villarum civitatumvè è cera fictas, aut metallo im-
 pressas effigies, quàm aliâ, quàm servatarum Deiparæ
 manu civitatum, ædium, tectorum que causâ. Verùm
 hæc, & id genus, Deiparæ Lindensis benefacta, atque
 de humano genere merita, quantum quidem tum è
 quorundam commentariolis, tum ex ipsis quoque
 votivis quorundam tabellis, notitia poterit erui, in
 suas dispescendæ classes, ac percensendæ jam sunt: eo
 majore utique fide ac fiducia veritatis, quo vicinior
 ipse quoque nonnulla spectarem. Interim quod em-
 dam expressæ coloribus imagini, Deiparæ nam ex
 se DEUM prono vultu adorantis effigiem (qualis apud
 Rhegienses coli fertur) referenti, & à Simone Ni-
 derhoff Archipresbytero Seeburgensi Lindam dede-
 catæ inscriptum legitur epigramma, operæ precium
 videtur in antecessum huic argumento præmittere
 Epigraphæ imagini præfixa est, quem genuit, adoravit
 jam verò ipsum epigramma imagini subscriptum
 hujuscemodi est:

Te MATREM VERBI, mutis conferre loquelam;

Lucis & altricem lumina adempta dare;

Te gestatricem vitæ, veræq; salutis

Ferre salutarem, vivificamq; manum;

Nil mirum: maiora potes, melioraq; virgo.

Quæ DEUS imperio, tu prece cuncta potes.

Cuncta igitur cum possit, quid mirum, si tanta & tam innumera, cum aliis locis, tum apud suam quoque Lindam patret miracula? quid mirum, si de innumeris ejus miraculis Jacobus Pontanus (a) cecinerit?

Non tot flumina piscibus natantur,

Non tot aëra remigant volucres,

Non tot silva feras, favos tot Hybla,

Non tot Parthus habet ferox sagittas,

Non tot æquora fluctibus tumescunt,

Non tot spicæ ferta gestat æstas,

Non tot arboribus comæ virescunt,

Non tot robor a montibus creantur,

Non tot astra micant tacente nocte;

Quor exempla tuæ benignitatis

Humanum in genus, in tuos clientes.

Quæ, ne cupiam ad Poëseos magis licentiam, quam ad historiæ fidem cantata videantur, juvat universam Ecclesiam Græcam eadem in suis Menæis audire Deiparæ concinentem. Flumina miraculorum, & DEIPARA, ex te, tanquam è Paradiso progressa, univer-

(a) lib. 2. de Virgine Matre.

universi orbis exsatiari sitim, gratiarum cumulos, velut undas, volventia, in utilitatem eorum, qui sincerâ te fiducoluit (a) Et quid hic aliud expectes, nisi ut eadem Ecclesia omnes ad tanta miraculorum beneficiorum, que Marianorum flumina invitet? Ecce (sic enim eodem pergito loco) inexhaustam gratia copiam! Adeste omnes, & corde puro, scaturientes hinc rivus, ut planè divinos, haurite. (b)

CAPUT VIII.

Beneficia divina, quæ ad animorum cultum atque salutem, Deipatre Lindenensis ope conferuntur, paucis libata.

ILLud ante omnia, in beneficiis divinis animos mortalium concernentibus, venerari omnino par est, quòd plerisque locum sacrum non modò jam ingressis, sed cominus quin & eminus aspicientibus, vel etiam iter duntaxat eò capeffentibus, peccatorum suorum memoria, non sine ingenti animi dolore, subeat, ut vix uspiam magis. Atque hinc est, quòd illic tot exomologeses, aut ab ipso vitæ exordio intuantur; aut, si quid anterioribus defuisse videntur, sarciantur. Paucos admodum invenias, qui eorum aut totius vitæ sarcinas non deponant; aut, si abdeposuère, non se illic singulariter allevari sentiant.

(a) οἱ τῶν θαυμαίων πόταμοι, θεοτόκε, ἐκ σὲ προχέμενοι, ὡς ἐξ ἑδῆ, ποτίζουσιν τὸ πρόσωπον τῆς γῆς, χάριτας προχέοντες τοῖς πιστῶς σε τιμῶσιν. Apud V Wagner num. 399. (b) ἰδὲ χάρις ἀνεζάντητος. δευτε πάντα εἰληθῆναι καρδία ἀρρῦσαθε, θεῖα νόματα πηγάζοντα.

Quid, quòd illi quoque, qui aut nullam, aut exiguam purgandæ conscientiaë curam rationemvè secum afferebant, simulatque sacrum locum subire, aut ei propiores facti sunt, subito intra se mutati, collectum diu intra conscientiam virus, majore, quàm vel ipsi sperarant, animi gemitu evomunt? Fuit paucos ante annos miles quidam, qui Ædem sacram ingressus, cum nihil antè super exoneranda apud se agitasset conscientiaë, præter expectationem subito excitari se ad faciendam peccatorum confessionem; quin & diviniore quâdam vi impelli sensit, ut *contra stimulum calcitrare*, vix amplius posset. Ergo ad divinum Tribunal se repente protipit, &, quæ longo temporum militiaëque usu haulerat venena, ita apud sacrum Quæsitorem digessit atque egressit, ut quemadmodum dolor maximus reum, ita judicem summa admiratio, utrumque verò incredibile demum exceperit lætitia. Neque verò minùs, augusta Lindensis Virgo à vitiis jam lapsos revocat, quàm cum vitiis luctantes aut confirmat, ne cadant; aut, cum lapsare cæperint, erigit. Unum de multis, quæ memorari possent, è P. Simonis Hein commentariolo subji- cio. Anno MDCL. maritus quidam, fœdum in morem per adulteria volutatus, non DEI duntaxat ac divorum, verùm & conjugis suæ acerrimum incurrit odium. In eo libidinis æstu, sub Tilia Marianæ umbram confugit; &, ut Regina Virginum, omnisque etjam Angelicæ puritatis fons supplicem audiat, obsecrando vover, se tum sacrum Lindæ sacellum adi- tum, tum septem dies in honorem purissimæ Virgi- nis

nis jejunio traducturum. Annuit supplici Virgo, & continuo omnem insanæ libidinis æstum ita extinxit, ut qui toties alienum polluerat thorum, deinceps etiam suum, quantum per fœdera liceret matrimonii, vellet servare puriorem. Voti quocirca reus, Lindam III. Cal. Jun. adiit, & sospitatrici suæ intimas egit gratias. Quis verò memoret, quantum in aliis constitutos animi periculis B. V. Lindensis adjuvet, quando Catholicæ quoque Ecclesiæ ac fidei, quæ virtutis omnis vitæque divinæ fundamentum est, tantam gerit curam, ut non modò Orthodoxos, in medio sectariorum per Ducatum Prussiæ sparfos confirmet, verùm & luctantes adjuvet, & lapsos revocet, & eos, qui de Ecclesia orthodoxa vix fando audierant, ad eandem invitet? Videretur profectò locum ipsum jam olim delegisse, unde ad omnium, quasi de specula quadam, excubaret salutem, & non minùs in tenebris hæreseon positos, veræ fidei perfunderet lumine, quàm orthodoxos flammâ accenderet pietatis. Haud facile eorum, qui Deiparæ Lindensis ope ad Ecclesiam Catholicam rediêre, numerum iniverit, etiamsi quis numerum ritè consignate statuisset. In unius, quem proximè adduxi, P. Simonis Hein, commentariolo, ab anno circiter MDXXXVI. ad MDCLIII. quo defunctus est, invenio præter eos, qui decrepito jam seni ac planè capulari, exciderunt memoriâ, restitutos per ipsum Ecclesiæ, ac de nomine signatos, centum octuaginta septem. Quorum etsi nonnulli videantur Resseii vinculis hæreseon expediti, Lindensi tamen Deiparæ secundùm Deum salutem debent; quia & illi ab ipsa

Resse

Resse
aliud,
juxta
sicut
siam
sunt
comm
que, q
cæno
qui ca
virtut
bulas
plicat
quoq
tus, t
Græca
in Me
Arbor,
scinda
ciar, 7
frugif

(a)
ἀνεργ
ἡ γὰρ
ὁ δὲ
κόπος

Resseliū diriguntur; & Societas Resseliensis, quid aliud, nisi Deiparæ Lindensis alumna est? Quod si, juxta unius commentariolum necdum satis ad amussim utique exactum, Deipara tot ad fidem & Ecclesiam reduxit, quot & quales essent, si, uti Ecclesiæ sunt restituti, ab aliis quoque operariis relati in commentarios accuratè essent? Quid si verò illi quoque, qui vel ex avaritiæ vel luxuriæ, vel alio vitiorum cæno, gravissimisq̃ Satanæ vinculis erepti; vel qui castimoniam, justitiæ, liberalitatis, aliarumq̃ virtutum præsidio muniti atque ornati sunt, in tabulas fuissent relati, quis eorum satis numerum explicasset? Quorum ego non magis, quam meo quoque nomine, sub tiliæ Marianæ umbra positus, non tam cum sancto Saba, magno Ecclesiæ Græcæ Rectore, quam cum universa Ecclesia Græca in Menæis Deiparam supplicor. *Ego sum infrugifera Arbor, nullum salutis fructum afferens. Quocirca, ne excindar, & in ignem, qui extingui non potest, miser projiciar, metuo. Ut inde ergo me eripias, atque suffragiis tuis frugiferum, tuo exhibeas Filio, coram te prosternor. (a)*

CAPUT

(a) Ἀπὸ V Wagnereskium num. 192. ἔγω εἰμι τὸ ἀκαρπὸν δένδρον, τὸ μὴ καρπῖνον καρπὸν σωτήριον. διὸ καὶ τρέμω τὴν ἐκκοπήν, μὴ πῶς ἐληθῶ εἰς τὸ πῦρ τὸ ἄσβεστον ὁ ἄθλιος. ὅθεν προσπίπτω σοι, τέτρα ῥύσασθαι, μὴ καρπύφορον δείξον τῷ ἡῶ σε τῆ μεσιτείᾳ σε.

CAPUT IX.

Inter beneficia ab Anno MDCXXX. divinitus apud Lindam Marianam exhibita, non postremum locum sibi vendicant illustrati mortalium oculi, & cæcitas aliaque oculorum vitia depulsa.

Quemadmodum tum à primo Lindæ Marianæ ortu, tum ab eadem postliminio restaurata (quod & libro 1. cap. 16. & lib. 3. c. 16. spectavimus) inter beneficia, quæ supremum Numen dispensari in genus humanum per Deiparam voluit, primum aut præcipuum fuit, depulsa ab oculis caligo: ita ex eo quoque tempore, quo, non sine Dei, Deiparæque nutu ac singulari benignitate, Societati Jesu curæ Lindæ commissa fuit, primum aut fere præcipuum locum occupat, depulsa itidem ab oculis caligo & luminis orbitas. Atque ut eos, qui laboratas ex argento, uti paulò antè memoravimus, oculorum effigies, inter anathemata, Deiparæ Lindensi, ob visum receptum dicantur, quia ignoti sunt, missos faciamus, primum hic locum teneat, qui id beneficii primo obtinuit loco.

I.

Adolescens ob impactam oculo festucam, oculi orbatus, promissâ peractaque Lindam peregrinatione, oculum, oculique usum integrè recipit.

Anno MDCCXXVI. Balthasar Cimen adolescens, perdiscendo apud calceolarium opificio, navabat operam Heilsbergæ, unde oriundus quoque erat
Domi-

Dominico interea die heræ suæ (quanquam reclamante, & ne diem festum temeraret, obluçtante conscientia) dicto audiens, manum secandis lignis admoveri; continuoq; quàm verum esset illud, quod sacræ literæ interminantur (a) *Erunt vobis fudes in oculis vestris*; re ipsâ expertus est. Ad primum seculis ictum ligno impactum, ligni segmen oculo illapsum, videndi oculiq; totius usum eripuit. Mater adolescentis, non minore, quàm filius, animi dolore percussa, ad luminis æterni Matrem recurrit, atque, ut filius quoque recurrat, persuadet. Ergo ille peregrinationem ad Lindam Marianam vovet, eamque profecuturus, die sacrosanctæ & individua Trinitati sacro, Heilsberga progreditur. Vbi Resse-
 lium accessit, lumen sibi sensim restitui sensit: tanto quocirca alacrior Lindam perrexit, indeque redi-
 dux, ac plus identidem sibi luminis accedere vi-
 dens, iterato ad diem assumptæ in cælum Virginis
 sacro, peregrinationem eandem repetiit; & (quem-
 admodum Gertrudis illius soror, quæ inter con-
 ventuales, ut vocant, Virgines, præfectam haud ita
 pridem egit, hodieque superstes sanctè affirmat) in-
 ta persanatus est, atque si nullum eo oculo fuisse
 aut vitium aut dolorem passus.

II.

Mulier biennium oculis privata sanatur.

Ad vi. Cal. Iul. anni ejusdem, venerunt Lin-
 dam Henricus V Vennigk, è pago territorii Meel-
 sacensis, Groskerpen dicto, ejusq; conjux Euphro-
 syna: qui secundum divinum Eucharistiæ epulû dili-

B b

gen-

(a) *Iob. 23. 13.*

gentius interrogati, beneficium, quod acceperat
Deiparæ Lindensi, secundum Deum, in acceptis
tulerunt. Nam Euphrosynæ biennium integrum,
usus oculorum erat ademptus, ut & sanies ubertim
inde profluens, & tumor, qui faciem occupârat, fa-
ciem humanæ prorsus redderet dissimilem: cru-
ciatus verò ac dolores tantierant, ut misera nihil
aliud nisi mortem identidem sibi precaretur. Ad-
bita sunt omnia, quæcunque uspiam reperiri pos-
sunt, medicorum præsidia, eo successu, ut dolor
non minui, sed augeri magis ac magis viderentur
quoad tandem ad Langualdense parœciæ suæ tem-
plum, paschalis communionis causâ mulier de-
vota, Lindensis quoque peregrinationis votum, præ-
ceteras inter preces, concipit. Et ecce eodem mo-
mento tumor residere, & illa saniei scaturigo exa-
rescere, & dolor remittere, ægraque in dies melius
semper habere! *Vidi ego oculos* (inquit in suo com-
mentariolo P. Simon Hein, qui Lindæ præteritæ
Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramentis refecerat)
*oculos sani hominû per omnia similes, etsi tum adhuc cal-
gantes; qui tamen, uti ex oculatis cognitum est, resti-
tus paulò post integrè sunt restituti.*

III.

Mulier acerrimo oculorum dolore cruciata, voto
Lindam factò, dolore soluta, videndi facultate
tem recipit.

Anno MDCXXXVIII. ipsis Nonis Iunii, adfuit
Lindæ voti rea, civis Vormditensis, Grolmus dicitur
uxor Maria, ut pro recepto luminis oculorumque

usu, sospitatrici suæ gratias ageret. Nam, ut ipsamet bonâ fide asseruit, hyeme proximè elapsâ, gravissimo oculorum dolore conflictata, cùm opem aliunde petitam, videret profum irritam, peregrinationem ad B. V. Lindensem vovit. Continuo dolor & cruciatus omnis remittere, tumor desidere, oculorumque usus capere redire, ita, ut, cùm Lindam adiisset, uno duntaxat oculo molestiæ nonnihil sentiret, cæteroqui probè sana.

IV.

Viri duo gravi oculorum dolore & caligine liberati.

Quod sequitur, iisdem reddam verbis, quibus eo, quo evenit tempore, non sine publica fide signatum fuit. Anno MDGXXXIX. die XIII. Maji, venerunt Lindam, vorumque exolverunt, Martinus Helman Vormditensis, & Andreas Grepell Meelsaccensis; uterque è gravi oculorum morbo sanitati relictus. Cùm enim autumno proximè elapso, in Pago Beervald Cameratus Meelsaccensis, in una eademque domo uterque famularetur, ferè octiduo ante S. Michaëlem ingenti oculorum dolore uterque ita correptus est, ut, morbo indies augescente, ne videre quidem, nisi tenuissimè posset, atque adeo arbores in campis, è propinquo vix dignosceret; quæ tamen ipsæ arbores, quasi ardere videbantur. Tandem prior, frustra adhibitis quibusdam remediis, B. Virginis Lindensis memor, templum propinquum ingreditur, vovetque se nudis pedibus Lindam iturum, & unius libræ cereum delaturum. Fa-

Et voto, melius continuò habere cœpit, ut intra
 Etiduum ad pristinam redierit sanitatem, auctore
 sacro jam nonnihil revalescenti fuerit; ut, si pe
 tere sanus esse vellet, voto se simili obstringeret: qu
 & alter fecit, perfecteque sanatus est. Atque hanc
 se habere, sub conscientia, tacto manu pectore,
 præsentia infra scriptorum edixerunt.

*Ita est, uti supra, Valentinus German Canonicus
 miensis, Protonotarius Apostol. man. prop.*

Andreas Selinger Soc. Iesu, ita esse testor.

*Christophorus Schmidt Notarius Resselienfis ita esse
 stor m. p.*

Idem testor Thomas Clagius Soc. Iesu.

V.

Vir Sexagenario longè major, oculorù lumen, quo
 nullo sacrorum in Polonia locorum cultu recipere
 potuit, apud Lindam Marianam recepit.

Et hoc quoque iisdem, quibus suo tempore
 gnatum & confirmatum est verbis ac testibus
 ferendum est. Anno MDCXXXIX. Matthias Renczo
 roski ex Bredinen pago Episcopatus Varmienensis
 undus, opificio molitor ac faber lignarius, fixam
 Szady civitate Samogitiæ sede, Anno MDCXXXVI
 mense Iulio, gravi cœcitate percussus est, ut uxore
 rem viri sui puduerit; quæ proinde maritum exiit
 & penitus exesse domo voluit. Sed & Illustrissimus
 Samogitiæ Episc. Georgius Tiszkieviev, &
 bastianus Kieystort Vexillifer Samogitiæ, & Ch
 softomus V Visztort, Parochus Szadensis, anno
 pra citato, publicis instrumentis, de ejusdem

citate palàm restati sunt. Cùm autem humana
 præsidia deessent, ad divina confugit, votumque
 de visendis omnibus, in Polonia ac Lituania sacris
 locis fecit. Facto voto, primùm Zurovicios, dein-
 de Crestochoviam, aliaque loca plurima revisit, u-
 ti è testimoniis, quæ habet, patuit: sed prope irri-
 to eventu. Tandem domum repetit; & cùm duode-
 cim circiter leucis abesset, admonetur, ut B. Virgi-
 nis Lindensis sacellum miraculis illustre ne negli-
 geret. Ille monitis paruit, & retrò iter flexit. Ven-
 tum est Insterburgum, ubi in medicum (quem à me-
 dendis oculis vulgo *Oculistam* vocant) incidit, opem-
 que, dato pro sua facultate ære, imploravit: sed planè
 frustra uti ex medici ejusdem chirographo colligi
 potest. Denique Lindam veniens, geniculat inter sa-
 cellum, ter altare obreptavit, & ante aram B. Virgi-
 nis humi in modum Crucis prostratus, DEUM ac Dei-
 param, pro sua incolumitate deprecatus est. Fufis
 precibus surgit, & continuò visum se recepisse gavi-
 sus est. Rem ita se habere, ipse tacto Evangeliorum
 codice, fixisque humi genibus juratus edixit: quod
 infra scripti præsentis audierunt, examinarunt, &
 adscriptis manibus roborarunt, ANNO MDCXXXIX.
 die XXII. Maji.

Ita esse testor Paulus Mollerus Archipresbyter & Páro-
 chus Resselienfis.

Idem testor Thomas Clagius Residentia Resselienfis Socie-
 tatis Iesu superior m. p.

Ita esse testor Henricus Conradi Proconsul Ressel. m. p.

Christophorus Schmidt Novarius Resselienfis juratus rem
 supra scriptam ita esse affirmo m. p.

Bb. 3

Simons

Simon Hein Societatis Iesu, ita esse testor.

Stanislaus Zberovvsky S. I idem testor m. p.

VI.

**Mulier gravissimis oculorum doloribus
liberata.**

Anno MDCXLI. Petri Prang civis Gutstadiensis
xor, votum Deiparæ Lindensæ exolvit. Duode-
ginti menses, acerrimos oculorum dolores pertu-
rat; neque iis, aut prorsum levandis, aut vel medio-
criter leniendis quidquam opis reperire uspiam po-
terat. Ad Deiparam Lindensem cum non posset cor-
poris, animi aciem intendit, & gemino se eidem
voto obstrinxit; altero quidem, Lindam ipsius quam
primùm invisendi; altero verò, quodvis festorum
Deiparæ pervigilium, jejunio, & quidem in sole
pane & aqua, traducendi. Audita est supplicis vox
neque dolores, exauditâ jam voce, cum auxiliâ
Deiparæ manu, simul amplius potuerunt con-
stere.

VII.

**Illustrissimæ Magni Ducatus Lituaniæ Marecalli
Aulicus, gravi & longo oculorum dolore
levatus.**

Anno MDCXLII. ad v. Non. Octob. venit Lindam
amplissimo cum comitatu & familiâ suâ Illustris-
sima heroina Alexandra de Sobiesciorum domo, Illu-
strissimi M. D. L. Irenarchæ sive Marecalli Chri-
stophori V Viesiotoroski, Tikocinensis, Kleszelen, &
Præfecti, nuper defuncti vidua; ut Augustissimæ

Dei Matri, quas pro acceptis per eam beneficiis referre non poterat, ageret gratias. Maximis enim, inter cætera, tum curis, tum etiam periculis, quæ in causâ bonorum Krzemienicensium incurrerat, Deiparæ Lind. ad quam recurrerat, ope se cum suis levatam expeditamq; agnoscebat. Non pauci in illo tum comitatu erant, qui non voce duntaxat, verùm & manu calomogûe suo (quemadmodum codicillus manibus eorum signatus indicio est) testati ac palam sunt professi omnia, quibus à Deipara Lind. maectati sunt, divina beneficia. Quos inter Paulus Casimirus Resziszewski, qui eidem heroinæ ab obsequiis erat, acerrimo oculorum cruciatu toto hoc itinere (quod ex interiore Lituania Lind. usq; sat est longum juxta ac impeditum) temporibusq; retroactis, nusquam se levari potuisse sanctè affirmavit. Simul autem limen Deiparæ Lindensis attigit, confestim allevatus est, quemadmodum præcipui illius aulæ comites, præsertim Dominus Thomas Karnierosky (de quo erit suus dicendi locus) & Albertus Læziuski præfentes atque oculati testes, manu suâ eidem codicillo adjectâ, confirmarunt.

VIII.

Nobilis Virgo, visum prorsus amissum recipit.

Sub eadem, ut conjicere possum, tempora Catharina, Joannis Kosciesza nuper in Gronitté Allensteins municipii, nunc in Sorenbohm Seeburgensis Territorii heredis, avunculi mei materni (à quo primum literarum gustum hausisse me gratus fateor)

Bb 4

filia,

filia oculorum usum, quem aliquamdiu profusum miserat, Deiparæ Lindensis ope recepit, quo et jam num lata, juxta ac incolumis fruitur: &, ut gratias Deiparæ agat, quovis anno Lindam frequentat.

IX.

Nobili, puero oculi, pessimè affecti, restituti.

Anno MDC XLIII. ad VII. Idus Julias, Magnificus Generosus Dom. Ioannes de Boianczice Bojanek, Illustrissimo quondam Nicolao Szytzkoroski, Varmieniensi Episcopo, ab intimis obsequiis, tum vero Seeburgensis atque exinde Gutstadiensis Burggravius, votum, quo magnæ Matri Lindensi obstrictus fuerat, exolvit. Erat ei filiulus (quem unà secum, tanquam voti reum, præsentem Lindæ stitit) oculis ita male affectus, ut (quod parens et jam me coram sanctè afferebat) neque ad solis, neque ad ignis lumen cernere quidquam posset; in aprico tamen caligantibus admodum oculis, quasi per nebulam, non nihil intueretur. Sed ubi parens, & se, & filium Deiparæ voto addixit, continuo & hic clarum tueri, oculisque per commodè frui, & ille, quoad voto se peroptium exolvere, Deoque ac Deiparæ apud Lindam gratias agere posset, gaudio interim non destitit triumphare.

X.

Puella oculis per annum capta sanatur.

Sub ejusdem anni decursum, Martinus Herdæ civis Vormditenensis, sponsionem, quâ filia causâ Deiparæ obligatus erat, Lindæ persolvit. Erat illi

Illifilia Margareta, solidum jam annum oculis capta; ut nihil aliud jam, nisi ne sempiterna nox offunderetur, expectandum foret. Parentes suam filiaque sortem miserati, nullum tamen aliud miseram, nisi apud B. V. Lindensem auxilium reperiunt. Illifiliam offerunt, & si votorum damnarentur, Lindæ sistendam suo tempore spondet. Damnati sunt & filiam sanitari oculisque restitutam, sine mora Lindam deduxerunt.

XI.

Mulier diuturno oculorum dolore liberata.

Eodem fere tempore, Pudentiana è villa Tolnik Seeburgensis municipii colona mulier, votum solvit. Continuis quatuordecim hebdomadis, gravissime ex oculis laborarat; & cum neque collyrium neque aliud remedium sperare aliunde posset; collyrium à filia Marianâ sibi afferre non desperavit. Spondet igitur Deipara Lindensi, si depulso ab oculis, illius ope, cruciatu, & instante jam orbitate, libera esset, voti se ream, non modò facellum ejus visuram, verum & bis mille passus geniculando aut potius, genibus reptando confecturam. Spondit mulier, & Virgo Deipara, voto sine mora respondit: neque Pudentiana secus, quam sponderat, peregrinationem est profecuta.

XII.

Cuidam in Samogitia posito, post votum B. V. Lindensi factum, cæcitas depulsa.

Anno MDCXLIV. ad VIII. Cal. Jun. quidam ab ipsa usque Samogitiâ, ut se voto exolveret, Lindam venit. Cæcus paullo antè fuerat; & qui in

vicino, quod sibi mederetur, cernebat nihil, potuit de longinquo, quo opus esset, cernere. Fortè de Lindæ Marianæ loco, collatisquæ in miseros mortales beneficiis, fando aliquid inaudierat. Eò igitur sibi recurrendum ratus, voto se, si convaluisset, Lindam adeundi obstringit. Simul votum conceperat, simul recepit & visum; eodemquæ securus & gaudens lumine jam fruens Lindam gratias acturus perexit.

XIII.

Duobus item aliis in Prussia, cæcitas depulsa.

Eodem Anno VI. Non. Iun. adfuit Lindæ Bartholomæus Ros è Pagoterritorii Vormditensis Neuhoff dicto: qui in oculorum suorum orbitate, cum non haberet, quò refugeret, refugit ad sacram Deiparæ Lindam; votoquæ nuncupato perfanatus, & votum, & se Deiparæ apud Lindam reddidit. Nequæ multò post, videlicet, prid. Id. Iun. adfuit quidam ex ipso Vormditensi oppido civis, qui ob sanitatem oculorum redditam votum & gratias, quas Deiparæ, uti promiserat, debuit, venerabundus perivit.

XIV.

Duo è Meelsaccensi municipio, periculoso oculorum morbo liberati.

Iam verò ad x. Cal. Iul. ejusdem anni, par hominum è Meelsaccensi municipio accesserunt, pariterque voto, ab acceptum à Deipara Lindensi par

munus ac beneficium, obligatus. Grave uterque ex oculorum vitio periculum adierat; facto ad Deiparam voto, uterque liber subitò evasit; &, nullâ interpositâ morâ, ut vincula, quibus se per votum induerat, evaderet, simul uterque Lindam contendit.

XV.

Puella Bisteniensis apud Lindam Marianam visum recepit.

Ad xiv. Cal. Aug. ejusdem anni, puella Bistenio oriunda, prosum cæca Lindam perreptavit. Quia verò nō minùs animi, quàm corporis lumen à Virgine, MARIA quæ ipso MARIE nomine se & corporis & animæ *Illuminatricem* profiteretur, supplex deposcebat, utrumque eodem loco ac tempore consecuta est. Nam ubi peracta delictorum suorum confessione, tenebras, quæ se animo offuderant, dispulerat, ad sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum, hoc est, ad divinum illum inter septem Ecclesiæ Sacramenta, Solem accessit, & unâ lumen, corpori jam dudum ereptum, non sine ingenti gaudio & summâ gratiarum actione recepit.

XVI.

Rei familiaris administer, usu oculorum prope captus, voto Lindam facto, sanatus.

Anno MDCXLVII. Clemens Fischer, è VVusen municipii Vormditensis pago oriundus, Traumburgi ad rei familiaris operas ministeria sua addixerat; cum interim oculorû usu destitui sensim ac privari cæpit.
Nulla

Nulla in præfente, adeoque periculoso morbo potiora erant remedia, quàm quæ de B. V. Lindenſis præſentiſſimo in malis ſubſidio, à nonnullis familiarium ſuggerebantur. Ad ea quocirca & ille animum adjicit, votumque Lindam concipit; eodemque tempore & viſum propè amiſſum recipit, & mox votum Lindæ præſens magna cum gratiarum actione reddit.

XVII.

Puella medium annum cæca viſum recipit.

Eodem anno Martini Vlrich civis Heilsbergentiſis filiola, medium circiter annum oculis proſum orba, ſive ſuo, ſive aliorum conſilio ad Deiparæ Lindenſis præſidium confugit; & voto factopræſtinum oculorum uſum ſubitò recipit. Patrem igitur, Lindam uſque piè comitata, votum & gratias pro incolumitate, ita facilè recepta dependit.

XVIII.

Biennium integrum oculis captus, rum animi tum corporis lumen recipit.

Anno MDCXLVIII. ex infami illo Ambubiæjarum genere (qui ſi non laſcivas, certè ludicras artes profitendo, celebria quævis loca quaſtus gratiâ percuſant) fuit Salpiſtes uſinus ex Smurgon Lituaniæ oppidulo, duodecim circiter leucas ultra vilnam ſito, oriundus Ioachimus nomine. Is ad morem in Ruſſia Lituaniaque uſitatum, domitos & ad ludum choreasque variè instru-

instructos urfos, ductando, plures jam annos cum
suis similibus belluarum exercitoribus, varias alio-
rum quoque regnorum provincias obierat; quoad
tandem qui supra urfos cæterasque belluas vix intra
animum perspicaciores habebat oculos, et jam eos,
quos in corpore cum belluis habebat, communes a-
misit. Biennium integrum, & omni ope, & consilio
desitutus, miser oberrabat; cum ille peregrinus qui-
dam Ioannes Szukelski in Samogitia adortus, ad
Deiparam Lindensem opis prædiique causâ diri-
git. Sequitur cæcus saniora peregrini consilia, &
Lindam usque se confert. Hic verò, priusquam lumen
corporis, quod quærebat, reciperet, lumen etiam
animi, quod ad eam diem, neque quæsierat, neque
insuper noverat, accepit. Instructus enim de Græ-
corum & Schismaticorum, in quo adoleverat, errore,
ultra se ad Catholicæ lumen Ecclesiæ recipit. Po-
stea quam verò densam illam peccatorum caliginem,
per sacra Pœnitentiæ & Eucharistiæ Sacramenta, ab
animo dispulit, lumen quoque corporis, visu per
Deiparam restituto, confestim recepit.

XIX.

Clauda mater, & filia cæca sanata.

Iunio mense anni MDCLII. exeunte jucun-
dum fuit, uti credere par est, Angelis ho-
minibusque spectaculum, & vel ad veterum
Pœtarum disertissimos argutissimosque sales, non
inficetum. Luserint inter eos, non modò Philippus,
Leonides, & Antiphilus, verum & ipse adhuc junior
Plato

Plato (a) de cæco & claudo mutuam sibi operam præstantibus, quando

*Claudum portabat cæcus, cæcum ille regebat,
Nempe erat hic illi pes, & hic illi oculus;*

Quidni & vos, meliore quodam acti entusiasmo, si perinde mutuam corpori, atque animo navatam cerneremus operam, ludere possemus? Mater erat, quæ ex Pago Blodau juxta Traumburgum sito, unâ cum filia Lindam venerat; & hæc quidam cæca, illa verò erat clauda. Ut verò filia cæca matrem humeris non deportarit, mater tamen clauda filiam cæcam, in sua pariter atque illius causa, Lindam direxit atque duxit. Matris enim consilio, ad vorum faciendum credo impulsam fuisse filiam, uti postmodum ejusdem ductu Lindam profecta est. Sed prius, quàm eò proficiscerentur, utraque Deiparæ ope, quam supplicibus votis invocarant, sanitati reddita fuit; ut neque cæca claudæ, neque hæc illius operâ indigeret: utraque verò mira Dei ac Deiparæ in se opera, tum Lindæ tum alibi simul deprædicaret.

XX.

Etjam aquâ, juxta Lindam Marianam præterfluente, oculorum morbi curati.

Quod alio loco (b) de ipsa quoque aqua (quæ Lindam præterlabitur, & vel è fontibus hinc inde scaturit,

(a) Lib. I. antholog. cap. 4. αἰνέρα τις λιπέγον ὑπὲρ ναίτοιο λιπαυγῆς ἤγε, πόδας χηῖσας, ὄμματα χηῖσάμεν. (b) Lib. I. cap.

rurit, vel rivulo vallem ſecante devolvitur) de quæ in-
 columitate nonnullis ex eadẽ promanante aquâ di-
 ximus, hujus MDCLII. anni exemplo abunde con-
 firmatum eſt. Mos eſt non paucis Lindam acceden-
 tibus, ut vel terram, vel frondes, vel etjam aquam,
 è loco ſacro ſecum aſportent; illum ſere Candacis
 Regina, de quo literæ ſacræ (a) Eunuchum imitati.
 Fuit inter hos Generoſus D. Eustachius Nenchen, in
 Elditen hæreditarius; qui aquam è Lindenſi ſcatur-
 rigine hauſtam, lagenâ ad futuros utus ſecum aſpor-
 tavit. Ecce, non leve tantillæ operæ precium! Erat
 illi inter domesticos operarios quidam, cætera quidẽ
 haud ignavus, ſed ob vitia, quæ patiebatur, oculorũ,
 haud magnæ, præſertim in futurum, frugis. Huic ille
 allatam recẽs è ſacro Lindæ loco aquam tradit, & ut
 oculos identidẽ perluat, imperat. Paruit hero mini-
 ſter, & cum primum aquâ illâ perluiffet oculos, non
 aquam ſed præſentiſſimũ oculis collyrium admoviſſe
 viſus eſt: ſubito enim oculi reſtituti, & omnia, quæ in-
 valuerant, vitia ſunt depulſa. Quod quidem idẽ ipſe
 generoſus Dñs Nenchen Anno proximè conſecuto
 ad VI. Jul. præſente R. D. Joanne Reiter & quibus-
 dam de ſocietate Patribus coram audientibus, ita
 uti memoravimus contigiffè, ſanctè affirmant.

XXI.

Duodecim annorum cæcitas curata.

Anno proximè inſecuto, ut ego quidem conje-
 cturâ aſſequor, Laurentius Mrovvka è Schœnberg
 regionis Allenſteinſis pago, Deiparam Lindenſem
 ſupplex;

(a) Aſ. 8.

supplex quanquam luminis ac annis duodecim e-
jamnum expers, veneratus tum voto tum cæcitate
magis, quàm luscitie, quibus obstrictus erat, solutus
est. Quia enim duodecimo hoc afflictissimæ suæ vita
anno ad opem Deiparæ se contulerat, & tum pec-
cata ritè confitendi, tum sacrosanctam in Æde Lin-
densi Eucharistiam sumendi votum fecerat, simul
atque, quod promiserat, coràm executus est viden-
di sensum, quemadmodum optabat, & de Magna
Dei Matris benignitate sperabat, manifestò in ea-
dem Deiparæ Æde consecutus est.

XXII.

Caligo, quæ plures hebdomadas offusa eras
oculis, depulsa.

Anno MDCLIV. ad III. Non. Iun. Simon Hein ex
Stegendorff Meelsaccensis, ut vocant, Cameratus
Pago incola simulquæ caupo, uti insperat à ita densa
oculorum caligine, ante quadragesimam proximè
elapsam, suffusus ac paullò post, videndi usu per-
tus orbatu est, ita ut toto illo, quod ad Pascha inter-
currit, tempore nihil omnino potuerit cernere. Si-
mul autem atque votum ad Deiparam Lindensem
adeundi fecit, mox illa Caligo sensim dispelli, atque
lux oculis redire cæpit. Quæ, quemadmodum me-
morata sunt, ipse mihi apud Lindam, testibus fide-
dignissimis præsentibus coram enarravit.

CAPUT X.

Deiparæ Lindenſis beneficia etiam ad hæreticos, & ab Eccleſia Catholica alienos, præſertim verò in vicino Pruſſiæ Ducatu ſitos derivata, atque in iis quoque cæcitas, & alii oculorum curati morbi.

Quanti magnam DEI Matrem æſtiment hujus temporis ſectarii vel è blaſphemis atque impiſſimis quorundam, qui ſectis nomina vel incrementa dedere, vocibus abunde patuit. Et tamen iſtorum quoque vota, apud Deiparam Lindenſem inveniunt locum! Quid aliud eſt (ajebat Philoſophus Antithenes (a) è flamma cibum petere, quàm eorum auxilium & opem implorare, quos neceſſitate non urgente, ne terenciù quidem æſtimes?

I.

B. V. Lindenſis, non modò quæ DEI Mater, ſed etiam, quæ Lindæ Domina, quodam jure ad beneficiendum ſuis adverſariis quaſi obligatur.

Si ad cæteros Chriſti familiares & Dei ſervos, illud pertinet: *Diligite inimicos veſtros; benefacite hi, qui oderunt vos; & orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis filii Patris veſtri, qui in celis eſt; qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper juſtos & iniuſtos (b) quid ni id quoque ad ipſam DEI & Chriſti Matrem pertineat? Qua de cauſa videtur profectò diva Lindenſis, locum illum in Pruſſiæ Ducatu, jam tum ab ipſo rei Chriſtianiæ in Pruſſia exordio*

Cc

(a) apud Stobæum ſerm. 21. (b) Matth. 5. 44.

ordio sibi eo delegisse consilio, ut & Catholicis, & a se, filii que sui Ecclesia dissidentibus, quodam jure redderet obstrictam. Illis enim, qui in Catholica ipsius Ecclesia degunt, maximo jure (quod quidem *communio Sanctorum* fundat) obligata est; & iis, apud quos ratione fundi Lindensis, quasi glebæ adscriptoria agit, quodam quasi municipali Provinciæ jure obstringitur. Quocirca tamen non ex æquo, ex voce certè suo, iis quoque, qui ita à se disjuncti sunt, parata ab se præsidia affatim offert. Quod si illi perinde ad capiendum, atque piissima liberalissima que illa Mater ad promendum, essent parati; non minus fortasse quam Catholicis, etiam de divinissimis animorum bonis ab ea sortirentur: certè quæ corpus concernunt, ita largè sortiuntur; ut non desinat, qui illam putent in eos, qui in vicino Prussiæ Ducatu sibi operam illius implorant, quam in reliquos orthodoxos esse liberaliorem. Sive enim hominum illorum (quorum plerique minimè in se mali, herorum duntaxat suorum imperio atque prædicantium intemperis à Catholica destinentur Ecclesia) innoxia simplicitas (ob quam, non *formales*, uti Theologi loquuntur, sed *materialis* duntaxat plerique sunt hæretici) sive etiam ipsius Deiparæ in eos benignitas facit evenire profectò solet, ut cum reliqui Orthodoxi pro eo, quo affluunt, plurimi numero, non semper exaudiantur, illi tamen, vix unquam à benignissima Matre non audiuntur: ut vel hinc veram DEI non modò filiam verum & Matrem agnoscas, quæ beneficentiæ sui radios oriri facit, super bonos & malos; & plus super iustos & iniustos.

II. Puel

II.

**Puella Angerburgensis ab ingruente liberata
cæcitate.**

In ea Prussiae Ducalis provincia, quàm vel à primo principe Wide Wuti filio, vel certe à principe oppido Barthen, Barthoniam dicunt, civitas est Angerburgum, sex circiter leucas distans Lindâ. Inde ad xiv. Cal. Decemb. Anno MDCXLIII. puella, annos propè viginti nata, Lindam venit, & ut veniret, non modò lippitudo, sed ipsa jam oculis, tanquam nox intempesta, offusa caligo ingruensque cæcitas adegit. Audiverat enim, quod & aliorum in eodem Prussiae Ducatu omnium aures circumsonat, quanta Deiparæ Lindenensis ope atque præsidio, miseris mortalibus dona cælitus in horas conferantur. Igitur plena spes & ipsa accessit: & quàm primùm Adem sacram, non sine ductore, attingit, recepto ipsâ expectatione citius lumine, domum inde luam, non sine gratiarum actione, & maximo animi gaudio, prorsum incolumis recessit.

III.

Mulier Insterburgensis diu cæca, perlanata.

In eadem Ducatus provincia, ad ipsos Nadravia fines, Boream versùs, jacet non infrequens neque in- elegans civitas Insterburgum: è cuius municipio, ad x. Cal. Junias Anni MDCXLIV. mulier quædam, Catharina nomine, Lindam Marianam revisit. Erat hæc priori, quæ de egimus, haud dissimilis, præterquam quòd major calamitas dissimilitudinem aliquam invenit: hæc enim non ingruentem modò,

Cæcitas

veritas

verum & inolitam jam diu cæcitatem secum adduxerat. Sed & hoc velum, quantumvis ita arctè obtensum, benignissima Deiparæ manus reduxit. Simul enim atque mulier illa miserima intra sacran Ædem sese intulit, hæc inter omnes mulieres æternum benedicta, medicam attulit manum; & ditam illam ab oculis noctem prorsum deterfit: parata utque non illi duntaxat, verum & cæteris omnibus præsertim in vicina, atque ita, uti diximus, obnoxia sibi provincia positis, & hæreseon magis, quam liberarum caligine noctium offusis, multo etiam liberalius atque officiosius, dummodo ipsi non oblitentur, tantas animorum tenebras detergere atque dissipare.

IV.

Filia cæca per matrem Lindam deducta, per Dei Matrem curata.

Ex eodem loco, atque eodem propè tempore, quippe ad XII. Cal. Julias anni ejusdem, ad idem calamitosorum asylum, quod Lindæ magna Dei Mater erexit, tristissima quædam mater filiam suam Catharinam deduxit. Non poterat ditam tristitiæ caliginem non offundere matris animo, offusa filiæ oculis horrenda cæcitatæ caligo. Quò magis & filia, & mater ante misericordiæ Matrem supplices prosterni, solatium flagitare, opem & præsidium, tanquam apud præsentissimum asylum obtestando implorare. Neque piissima Dei Mater potuit non audire, eo præsertim loco supplicantes. Extemplo Catharinæ oculis lux affusa, & videndi restitutus est sensus. Quocir-

ca & mater, & filia in gratiarum actionem effusæ, non sanitatem duntaxat receptam, verum & adjunctam insuper maximam animi lætitiã, domum unã retulerunt.

V.

Mulier Fridlandensis, Lindæ à cæcitate sanata.

Mense Junio Anni MDCLIV. Christina Fabri Fridlandensis conjux, perinde veræ fidei atque oculorum lumine orba, Lindam curru deportata venit. Eò processerat luminum orbitas, ut neque alia juxta se posita, neque infantem adeò suum cernere amplius posset. Fortè in exiguo illo, qui Fridlandi est, Catholicorum numero, aliqui consilium agræ dant, ut Deiparæ Lindensis præsentem opem præsidiumque impleret. Adfuisse illam plurimis, posse & ipsi, siquidem supplicem viderit, adesse. Mulier bene monentium haud spernata consilium, etjam animum ad spem fiduciamque erigit, & voto Lindensis peregrinationis tacto, in viam se dat. Vix locum sacrum attigerat, cum subito luce oculis redditã, & locum intueri coram, & divinæ in se benignitatis magnitudinem æstimare animo, Deumque in sua Matre, uti par erat, predicare potuit. Quæ quidem omnia admodum R. D. Joannes Grunenbergh Santoppensis Curio (qui tum Lindæ præsens aderat) tum vectore mulieris cum sua conjuge, tum aliis enarrantibus ita esse gesta audiit: & ipse deinceps asseruit.

CAPUT XI.

Aurium morbi, ope Deipara Lindensis, profigati.

Proximum oculis locum in humano corpore Aures habent, habeant proinde & in curationum beneficiorumque, per B. V. Lindensem obtentorum narratione

I.

Quidam colonus biennium surdaster, nullâ nisi Virginis ope, curatus.

Incertum est, quo anno, quod jam referetur, eveniret; certum nihilominus est, quemadmodum è cuiusdam referetur commentariolo, evenisse. Joannes Tochs è Polkhaim, Seeburgensis municipii villâ, audiendi sensum admodum gravem, biennio integro expertus; & ut in surdastris usu venit, sibi juxta aliis gravis erat. Neque erat in humanis remediis, quod calamitatem in dies magis ac magis invalenscentem superaret. Audiverat jam antè, magnam Deam Matrem, ad calamitosorum preces, nunquam apud suam Lindam obsurdescere solitam. Ad eam proinde & ipse inclamat, atque votum peregrinationis Lindensis apud se nuncupat. Audiit surdi vocem atque vota piissima Virgo; atque, ut ille quoque aliorum voces facillè audiret, ope suâ, quâ apud Deum omnia potest, subitò perfecit. Qui verò se vel ex propria quoque voce jam probè percepta, cognovit è auditum, Lindam præproperè contendit: ut Deipara Virgo, quæ haud gravatè audierat supplicantem, jam gratias, quemadmodum jus & fas esset, agerem, pia ac propitia audiret.

II. Als

II.

Alter colonus, oculorum atque aurium ſenſu propè deſtitutus, eâdem ope adjutus.

Anno MDCXLIV. ad IV. Nonas Junias, Martinus Schultze è Komejen, Vormditenſis territorii pago, voti reus apud B. V. Lindenſem apparuit, & quod ſponderat, exolvit. Ad oculorum, non leviter cæcutientium incommoda ſat per ſe utique gravia, acceſſerat nihilo levius & aliud, auricularis videlicet morbus, audiendique hebetudo, ex parotide vel alia ex cauſa proveniens. Igitur utroque ſenſu, majorem partem cum eſſet captus, ad Dei Matrem, quam nôrat, & ſolvere vincula reus, & proferre lumen cæcis, ſeſe contulit; neque in caſſum. Brevi ſibi & vitum, & auditum ſenſu reſtitutum; ideoque Virgini, quæ reſtituit, gratias, quas debuit, apud Lindam Marianam, coram perſolvit.

III.

Sacerdoti è Societate Jeſu reſtitutus auditus.

P. Joannes Bruns Societatis Jeſu Presbyter, patriâ Lobavienſis, mathematicarum in plerisque hujus provinciæ Lituaniæ Collegiis diſciplinarum, jam diu Profeſſor, ſive ipſius naturæ, ſive aliquo alio vitio vel cauſâ, gravem contraxerat auditum; & malo indies ingraveſcente, quò ſe remedii cauſâ reciperet, non inveniebat. Recepit tandem ad B. V. Lindenſem, & beneficium, quod implorabat, à benigniſſima Dei Matre facile recepit, quemadmodum ipſemet palam conſtetur. Sic enim Tabellæ argenteæ

Cc 4

ab ſe

ab se deauratæ, eo caractere, quo in scalpendo eximiè pollet, epigramma incidit.

D. O. M. *Virginis, sive originali conceptæ, ob restitutum auditum D. D. devotus cliens, P. I. B. S. I. Anno 1647.*

IV.

Nobilis è Masovia vir, tum gravi aurium vitio, tum præsentè mortis periculo, Deiparæ Lindensis ope levatum se recognoscit.

ANNO MDCLIII. ad VI. Id. Jul. nobilis ac generosus Dominus, Paulus Zmijewsky, terrestris, ut vocant, in provincia Wisnensi subjudex, & serenissimi Electoris Brandenburgici, Prussiæque Ducis, Quadruplator, gravi aurium vitio ad surditatem propè redactus, ad B. V. Lindensis (quam cæteri ipsius populares Masovii, *Virginem Prussicam*, appellare solent) opem, quàm superiore anno, cumulatè jam fuerat expertus, iterum respexit; atque ut voti compos fieret, non modò sacrum Lindæ locum se aditurum, verùm & sacrosanctis pænitentiaæ atque eucharistia sacramentis in eodem se fruiturum vovit, simul votum hoc ediderat, simul & voti compos, integrum aurium usum recepit. Quòd quidem beneficium, Deiparæ Lindensi ita in acceptis retulit, ut & manu propria illud consignârit, & simul prioris alterius beneficii memoriam unâ reficuerit. Sic enim in chirographo tuo, quod commentariolis suis Lindensibus voluit adjectum, linguâ maternâ scriptum reliquit. Anno 1653. die 10. Julii, peregrinationem anno superiore ad hunc sacrum Lindæ locum reverendorum Societatis Jesu Patrum

Patrum factam repetendo, collatam in me, gravissimâ illâ calamitate affectum, sanctissimâ Virginis gratiam, animo grato recolo, iterumque profiteor; me & tum ex voto ad B.V. factâ illam gratiam, & nunc iterum aliam eiusdem SS. Virginis ope esse consecutum. Quod quidem iterum, atque iterum profiteor, atque omne beneficium sanctissimâ Virgini, & huic loco adscribo: Paulus Zmjevsky Subiudex Terra VVisnensis, & serenissimi Principis Electoris instigator. Jam verò quod, & quale fuerit beneficium, anno proximè præterito eidem à B.V. Lindensi collatum, non aliunde melius, quàm ex altero ejusdem chirographo intelligi potest. Est autem è materna lingua in Latinam translatum istiusmodi. Anno MDC LII. die XVIII Julii, ego Paulus Zmjevsky Terra VVisnensis Proiudex terrestris, hoc ipso anno vi morbi eò redactus, ut neque meâ, neque aliorum opinione (omnes enim de me actum esse conclamârant) superstes amplius esse potuerim; simul atque ad sacrum hunc Lindæ locum, tum ab aliis, tum à sacerdotibus sacrum Missæ sacrificium pro me facientibus, sum oblatum, non aliâ sanè quàm singulari sanctissimâ DEI Matris ope, pristina sanitati restitutus sum; quod ipsum & nunc eidem sanctissimâ DEI Matri attribuo. Idem ipse ego suprâ nominatus cum testibus infrâ nominatis recognosco manu meâ. Laurentius Pikarsky VVonsocensis plebanus. Matthias Milevsky Vicecapitaneus Castrensis VVonsocensis manu propria. Florianus Szuka Succamerarius terrestris VVonsocensis.

CAPUT XII.

Gutturis & dentium cruciatibus liberati.

Auribus & auditori præstita à DEIPARA Lindensi beneficia, jam excipient, quæ vel dentibus, vel faucibus ab eadem sunt divinitus impensa.

I.

Nobilis illustrissimæ M. D. Lituaniz Marscallæ aulicus, faucium cruciatu, & alii aliis morbis apud Lindam Marianam levati.

Inter eos, qui (quemadmodum capite nono memoratum est) frequenter illustrissimam heroinam magni Ducatus Lituaniz Marscallam Anno MDCXLIV. ad v. Non. Oct. Lindam comitati venerunt, fuit etiam Matthias Milewsky, qui prius quam iter esset ingressus, ac postmodum in ipso quoque itinere acerbissimos faucium dolores (sive ea vis mali, ab angina, sive ab alio glutti gurgulionisve vitio fuerit) solidas duas hebdomadas perpeffus est. Neque aliud, etiam ante susceptum iter, vel in tam opulenta ac magnifica heroinæ illius aula, mali remedium, quam à Deipara Lindensi reperiri potuit. Ad eam proinde & votum, & iter tam longinquum suscepit, neque profectò in cassum. Quàm primùm enim sacram Lindæ Marianæ sedem attingit, pristina illi rediit valetudo. Quod beneficium & is, qui percepit, & alii, qui ex eadem aula præsentibus aderant, non modò Lindensi divæ in acceptis retulerunt, verùm & manibus suis consignare parati erant, quorum o-

omnium nomine Albertus Lonzinsky & Stanislaus
 Zonkowsky, rem, uti narrata est, subscriptis mani-
 bus nominibusque signarunt. Atque hujus fortasse
 aliorumque ipsius comitum imitati exemplum, tres
 ex ejusdem heroinæ aula ad v. Id. Septemb. Anno
 MDCXLIV. Lindam adierunt, & vota, quæ fecerant,
 reddiderunt. Incertum est, quod singuli morbo fue-
 rint pressi, quia in commentariolis morbi genus ex-
 pressum non invenio: at colligi vel ex iisdem potest,
 quemadmodum factio Lindensis peregrinationis
 voto, levati sunt morbo, ita non levi conflictatos fuisse
 morbi acerbitate. Cæterum an ipsa quoque illu-
 strissima Mareſcalla aliquod in morbo præsidium di-
 væ Lindensis fuerit experta, haud satis constat; con-
 stat tamen sæpius ab ea tam longinquæ peregrina-
 tionis iter, Lindam usque fuisse susceptum. Sed &
 mihi tum è gravis cujusdam Sacerdotis, qui in illa au-
 la versatus erat, tum è religiosissimæ virginis Ursulæ
 Rizezicæ Monasterii Grodnensis (quod illa heroi-
 na cum illustrissimo conjuge suo sub Regula S. Salva-
 toris divæ Brigittæ data fundarat) Abbatissæ testi-
 monio constat, in ea lite, & litem consequentibus an-
 gustiis, quæ super bonis Krzemienica, foundationi di-
 cti Monasterii attributis, sanè quàm diuturnæ &
 graves intercedebant, singularem Deiparæ Linden-
 sis fuisse expertam opem atque subsidium.

II.

Wartemburgensis inquilinus, cum aliis tum den-
 tium doloribus levatus.

Ad III. Nonas Jun, Anni MDCXLIV. adierat Lin-
 dam

dam Simon Nitsch inquilinus Wartemburgensis, qui & mihi, & multis coram audientibus, quo pacto majorem veris proximi partem, varios inter morbos, eosque gravissimos ac periculosissimos, cum traduxisset, ope tandem Virginis Lindensis esset levatus, enarravit. Nam & capitis, & ossium omnium, & precipue dentium cruciatus ii erant, ut spes vitæ planè superesset nulla. Rebus interim afflictissimis, venit in mentem Deiparæ Lindensis; ad quam ille continuo votum concepit, & voto ritè concepto, revalescere ac vires resumere extemplo cepit; ita ut præsentem dictâ die apud Lindam Marianam, & lacris pœnitentiæ atque Eucharistiæ sacramentis ritè perfunctum, omnes etiam corpore probè valentem cernerent, ejusque causâ DEI ac Deiparæ benignitatem extollerent.

III.

Civi Heilsbergensi sex dentibus vi & vehementiâ doloris excussis, dolor omnis, voto ad B. V. Lindensem facto excussus.

Acerbius plerumque quàm periculosius solet esse in dentium cruciatum malum: sed apud Martinum Treptau, magnam etiam periculi partem videtur habuisse conjunctam; quia acerbissimis capitis doloribus erat conjunctus. Tres integras hebdomadas ii cruciatus tenuerunt, ita ut sex omnino dentibus vi & acerbitate cruciatuum confractis, radices eorum è gingivis excussi prosiluerint. Tentatis nequidquam aliis remediis, unicum ad B. V. Lindensem votum pro omnibus remediis atque alexipharmacis fuit, simul enim atque pedestrem ad illius sacellum peregrinatio:

tionem, & candelam è dimidia ceræ libra Virgini offerendam promisit, dolor ille omnis remisit; ut exat-
 Et inde tribus hebdomadis, non modò incolumis
 verum & alacer, ad VIII. Cal. Sept. Anni MDCLIV.
 Lindam veniens, omnes, ad gratias DEO ac Deiparæ
 suo nomine agendas, incitârit.

IV.

Admodum R. D. Michaël Axamitowsky Archi-
 presbyter Vormditensis, non uno dentium cru-
 ciatu per divam Lindensem levatus.

Inter anathemata & tabellas ex argento Deiparæ
 apud Lindam appensas, sunt, quæ genarum seu ma-
 larum speciem referant. Incertum aliquamdiu fuit, à
 quo, & cujus rei causâ oblatae atque dicatae essent:
 patuit tandem donarium fuisse adm. R. D. Michaëlis
 Axamitowsky, qui Vormditensibus egregiam &
 diurnam in sacris operam navârat, & jam Archi-
 presbyter eorundem, tantò alacriùs navat, quantò
 sæpiùs atque constantiùs à diva Lindense, quam iden-
 tidem revisere & perpetuò solet colere, adjuvatur;
 & jam olim in acerbissimo dentium cruciatu adju-
 tus est.

CAPUT XIII.

Eadem quoque beneficia Acatholicis, per B.V. Lindensem
 præstita.

SI, quemadmodum paulò antè disseruimus, B.V.
 Lindenensis tanquam fundi in Ducatu Prussiæ sita
 Domina, quodam quasi municipali jure ad succur-
 rendum municipibus suis obstringitur; quò illi Ma-
 rianæ

rianæ

rianæ ipsius Lindæ fuerint viciniore, eò fortasse alacriùs, iis patrona, uti solet, aderit.

I.

Puella rustica opem, quam capitis dentiumque cruciatibus in suorum fano nequidquam quærit, in Deiparæ Lindensis Æde facilè invenit.

Aris oppidulum est, septem circiter leucas abjunctum Lindâ, & illi vicinus pagus Gory dictus: in eo pago Eva Pauli Odonek filia, infestissimo capitis ac dentium cruciatu exagitabatur. Parentes cum humana præsidia haberent nulla, ad divina scilicet con fugere sese rati, Ekersbergam, vulgo Polonis Okar towa, dictum viculum, medio fere inter Aris & Lindam itinere situm, filiam devovent. Castellam quondam Ekersberga fuerat, quod à Kinsturo Lituanorum quondam Duce jam dudum eversum, locum duntaxat fanum, ab recente Lutheranorum secta profanum, retinuit: nam & pons, qui supra Spirding nobilissimum in Prussia locum (è quo Gedani usque navigandi facultas se offert) stratus quondam erat, ac locum multo reddebat celebriorem, dudum subrutus est, ut solis pontonibus via illac jam pervia sit. Hic igitur locus, qui humanis quoque præsidiiis omnibus ita orbatus jam erat, quid divinæ opis afferre cuiquam posset? Quocirca & Evæ ad se peregrinanti nullum potuit exhibere, vel de ligno vitæ, vel de aliis Paradisi arboribus remedium; nisi fortè aliquid de Arbore scientiæ boni & mali, proferret anti-

dotij

doti; ad quod satis alioqui miseri jam dentes penitus obstupescerent. Quærendus igitur fuit Evæ melior apud Lindam Marianam Paradisus; ad quem suorum quoque parentum consilio ac voto ubi destinata fuit, continuo omnis dolor capitis remisit, dentium cruciatu non nihil adhuc perdurante; quoad illa peregrinationem, quam ipsi quoque parentes voverant, Lindam usque pedes absolvit: tunc enim etiam illa residuo dentium, quorum unus chirurgi manu revulsus erat, absoluta est cruciatu.

II.

Mulier Angerburgensis, ab immani dentium cruciatu bis opè B.V. Lindensis liberata.

Anno MDCLIV. prid. Non. Sept. non unius, sed quinque annorum peregrinationem, hæretica mulier ex Angerburgo oppido, compendio, quo potuit, compensavit. Sex septemvè circiter ante annos peracerbo dentium vexata cruciatu, neque uspiam, nisi apud B.V. Lindensem relevari se posse confisa, quotannis se peregrinationem ad Lindam Marianam susceperat, & quinos sestertios, quovis itidem anno, Deiparæ in ejus sacello de penuriam vovit; subitoque ubi primùm votivâ illâ peregrinatione defuncta fuit, omni illo cruciatu relevata est. Verùm uti plerumque rebus in portu jam collocatis, evenire solet, ut nos præteritarum tempestatum oblivio capiât; ita muliercula quoque illa, ab eo morbo perlanata, perinde doloris præteriti ac promissis pers-

peregrinationis annuæ oblita fuit: nisi fortè, non tam oblivio, quàm socordia, vel, ut in seftariis facilè accidit, contemptus quoque mulierculam ceperit, & reddendo annuo penso retardârit. Verùm iusta Nemesis ac vindicta divina, retardari ultra quintum annum haud potuit. Redit idem ille dolor ac cruciatus, & fortasse etiam gravius, quàm ante, miseram exagitat. Redit quocirca & illa ad sese, & ingratitude, vacordiamque suam detestata, extemplo ad divam Lindensem recurrit; pensum annorum quinque sefteriorum, per tot annos retentum simul dependit, atque ut sospitatricem quondam suam, iterum propitiam ac fautricem experiatur, quantâ potest, contentione obsecrat. Impetravit iterum, quod petiit, non tam suo merito, quàm Deiparæ benignitate: proinde & gratias, quas potuit, beneficium deprecando Deiparæ retulit, seque domum jam sana, ingenti cum gaudio recepit.

CAPUT XIV.

Cephalæa, plicâ, aliisque capitis doloribus Deiparæ Lindensis ope exempti.

AB Oculis & Auribus, quæque his viciniore sunt, proximus est nobis ad caput gradus; cuius quidem dolores eò usque intendi nonnunquam solent, ut hominem de statu mentis quoque deturbent; adeoque vel delirium & amentiam, vel etiam furorrem & maniam adducant. De quibus & nos actatinitium sumemus ab iis capitis cruciatibus, à quibus alii deinceps ortum suum sumunt.

I. Reve

I.

Reverendissimus Abbas Olivenfis, gravissimo capitis dolore per B. V. Lindensem liberatus.

Non est hic alio, quam ipso Perillustri ac Reverendissimo Abbate, et jamnum Dei gratiâ superstite, historico aut teste opus. Neque enim tacere potest tantum Dei paræ in se beneficium, quanquam si verbis etiam non prædicaret, prædicat argenteâ, quam Dei paræ Lindensi dicavit, tabellâ; in qua scalpro exarari, quæ jam damus, curavit.

Perillustri ac Reverendissimo D. Alexander de Bautzen-dorff Kenjovvsky Abbas Oliva, gravissimo capitis dolore laborans, hanc Tabellam Beatissima Virgini MARIAE offert. Anno 1649.

II.

Idem Reverendissimus Dominus Abbas, in eodem vel alio simili morbo, similem B. V. Lindensis est opem expertus.

Quartus ab eo tempore volvebatur annus, eratque is, ad vulgarem Christianorum æram, supra millesimum sexcentimum LIII. cum iterum idem ille, Perillustri ac Reverendissimus sacri Cisterciensium Ordinis apud Olivam, dignissimus Abbas, gravissimo conflictatus morbo, iterum opem apud B. V. Lindensem, præsidiumque quæsitum facile invenit. Ergo iterum votivam Divæ Lindensi tabellam appendit, & in tabellâ acceptum divinitus beneficium hæc, quæ sequitur epigraphæ professus est.

D. O. M. Perillustri ac reverendissimus Dominus Alexander

D d

lexan-

Alexander à Bautzendorff Kensovsky Abbas Olivenfis, p
 gulare patrocinium beatissimæ MARIAE Virginis in
 mitate sua expertus, tabellam hanc gratitudinis ergo in
 nozem ejus offert, die V. Februarii Anno 1653. Ita prac
 re Cisterciensi in Prussia Olivæ cum Mariana
 Prussia itidem sitâ tiliâ convenit; quia & in
 Deipara Virgine, quemadmodum *Olyva speciosa*
campis (a) ita, quod alibi (b) demonstravimus, Vi
 rutes Deiparæ exhibet abunde tilia.

III.

Aulicus illustrissimæ magni Ducatus Lituanicæ Ma
 rescallæ, ab ingenti capitis dolore
 curatus.

Anno MDC XLII. pridie Non. Octob. cum Illustris
 sima M. D. L. Marescalla, advenit quoque Lin
 dam Dom. Iacobus Zavadzky, qui diutino
 gravi capitis dolore oppressus, voto ad B. V. Lin
 densem facto, simul, atque iter Lindam
 ingressus, meliusculè habere cepit: cum verò
 ad ipsum Lindæ Marianæ Sacellum pervenisset,
 planè convaluit. Quod quidem eum in modum eve
 nisse, viri nobiles, qui in eodem comitatu advene
 rant, subscriptis rei gestæ manibus nominibus
 suis testati sunt, potissimum verò Dom. Albertus
 Lonzinsky, & Dom. Thomas Karniewsky.

(a) Eccli. 2. 4. (b) lib. I. cap. 12

IV.

Nobilis illustri genere in Masovia natus voto Lindam facto, gravissimis capitis doloribus levatur.

Anno MDCLIII. ad VIII. Cal. April. cum amplo familiarium comitatu Lindæ adfuit Stanislaus Gumovsky, illustri genere in Masovia oriundus, & in Targowba, fundo Varavia haud longè disjuncto, heres ac Dominus; ut se voti reum Deipatæ Lindenfi susteret, & pro beneficiis, quibus ab ea se benignissimè maectatum asserebat, grates redderet. Obrutus erat ingentibus capitis morbis, & cum alibi, tum Varavia (ubi & Regionum, & aliorum pericissimorum copia medicorum semper adest) medicamentum aliquod tantis malis anxie quaerierat, sed in cassum. Ergo, qui plerosque, à Diva Lindenfi, sanitatem cæteraquæ præsidia impetrâsse haud ignorabat, ad eandem se opitulatricem recipit, & voto eidem nuncupato, citra moram convalescit. Quod, cum ipse manu sua disertè fateatur, præstat illum ex Syngrapha sua audire differentem. Sic igitur ille vernaculâ linguâ:

Ego infra-scriptus fateor, & recognosco; quod, cum gravissimis capitis doloribus affectus essem, & jam nullam mihi ad restituendam sanitatem spes amplius supereset, voto me, in tanta calamitate positus, ad sacram Lindam obstrinxi. Quo voto facto, auxilium brevi tempore sensi.

Datum apud S Lindam, die XXV. Martii anno MDCLIII.
Stanislaus Gumovsky ex Targowka
juxta Varaviam, manu propria.

Dd 4

V.

V.

Matrona quædam marito comitante, pro depre-
capitis doloribus, B. V. Lindensi gratias
agit.

Ad VI. Id. Majas Anni MDCLIV. Vir quidam
conjugem suam Deiparæ Lindensi, unâ secum vi-
ream, præsentem stitit. Acutissimis illa capitis dolo-
ribus longo tempore conflictata, nullum usquam
curando levandové malo remedium invenire potuit.
Quæsiit denique apud B. V. Lindensem, & præ-
quoque, quàm ad ipsam accederet, invenit. Postea
quam enim votum Lindam peregrinandi nuncupa-
vit, quasi aut medicatam capiti fasciam adstrinxisset
aut aliud potentius amuletum admovisset; ita dolor
omnis protinus remisit. Neque illa, de voti perlo-
vendi diligentia, quidquam remisit; sed protinus
marito comite, se in viam dedit; & Deiparæ Lindens-
sem, quam absens ita sibi fuerat experta auxiliarem
summâ animi gratitudine præsens venerata est.

VI.

Duæ Virgines Heilsbergenses à cephalalgia
curatæ.

Eodem anno, ad VIII. Idus Junias, Catharina Jo-
annis Ageilon, cujus aliàs meminimus (a) filia,
Joannis Stiwert honesti atque opulenti civis Heils-
bergensis vidua, duas è filiabus suis Lindam deducit
& Deiparæ voti reas coram exhibuit. Gravibus
traque capitis doloribus erat afflictæ; neque verò

(a) lib. 3, cap. 10. & 20.

illæ, aut cum illis, afflictissima genitrix, præsentius
quàm apud Dei genitricem, sacramque illi tiliam,
sperare præsidium potuit. Quocirca, & ipsa votum
nuncupat, & filias nuncupare unà jubet. Dictum fa-
ctum; neque diutius præsidium curatioque dilata:
protinus enim à concepto voto, & filiabus sanitas &
matri consolatio rediit. Vnde simul omnes, peregrina-
tione domi promissâ Lindæ sunt exolutæ.

VII.

Civis Traumburgensis, capitis & spinæ dorsi
cruciatibus levatus.

Eodem quoque anno, ac mense, diebus aliquot
intercedentibus videlicet ad III. Non. Junias Chri-
stophorus Sikorsky Traumburgensis inquilinus,
sacrosanctis Pænitentia & Eucharistia Sacra-
mentis apud Lindam Marianam refectus, me com-
tam, aliisque præsentibus disertè professus est: se
vere proximè præterlapso, immanibus capitis spinæ-
que dorsi excruciarum doloribus, nullum uspiam le-
vando malo, quàm apud B. V. Lindensem præsi-
dium reperire potuisse. Ad eam proinde votum pere-
grinandi concepisse; & concepto voto, omni mox
cruciatu fuisse levatum. Quod igitur promiserat,
memoratâ die præstitit; iterque septendecim propè
leucarum ab ipso usque Traumburgo, non modò sa-
nus, verum & alacer, pedes torum est emensus.

VIII.

Matrona Meelfaccensis, capitis & oculi doloribus liberata.

Eodem insuper mense, ipsis videlicet Idibus Iulii votum exolvit Margareta, Matthæi Buchholz civis Meelfaccensis uxor. Anni proximè elapsi autumno eos capitis cruciatus est perpessa, ut in faciem, ac dextrum præsertim oculum redundaret. Sive autem mali fons ulcus aliquod interius, sive alia causa fuerit, oculus certè non dolore modò, sed pelliculâ insuper suffusus omnem videndi usum perdiderat. Etsi verò nuncupato Lindam voto, & capitis, & oculi, omnis extemplò recesserit dolor, pellicula tamen illa pupillæ obtensa non recessit, qua cum Lindam quoque venit. Verùm, ut & hæc recederet aut potius saluari Deiparæ manu, abstergeretur, de præterfluente Lindam aquâ, quæ ad aliorum exempla mortalium, oculum illum perfrueret, hydnolam secum asportavit domum.

IX.

Duo è Masovia homines, à cephalæa curati.

Non multis diebus interjectis, videlicet pridie Cal Aug. ejusdem anni, par hominum è Masovia Lindæ adfuit: utrique vorum atque peregrinationem sive vertigo, sive alii vehementes ac permolesti expresserunt morbi. Votum autem atque peregrinatio tantis urgentibus malis expressa, videntur à Deipara Lindensi quodammodo sanitatem expressisse.

Quâ per Deiparam obtentâ, nihil utiq; fuit utriusque antiquius, quàm ut primo quoque tempore voto se expedirent; quemadmodum die, quâ diximus, non sine ingentibus Deiparæ actis gratiis, & singulari animi exultatione, expediverunt.

X.

Nobilis è Masovia vir, plicâ, & periculossimâ, quæ plicam comitantur, propè ad mortem excruciatu tormentis, voto ad B. V. Linden(em) facto sanatus.

Ad morbos capitis, placuit adjungere *Plicam*; ut plerique medicorum appellant, *Polonicam*, de qua alio loco non nihil jam à nobis dictum (a) Tametsi enim id genus morbi, uti planè nocuum, & apud alias nationes prope ignotum, inusitatum certe est, ita non modò caput, verùm & venas, & nervos, & musculos, & carnem, & ossa, & totum denique hominis corpus pervadat, atque inauditis lancinet cruciatibus: quia tamen (postquam quasi possessam totius humani corporis arcem percurrere, & se in ipsa spectantium oculis exhibere solet) in ipso capitis vertice, per capillum scilicet in nodos prorsum inexplicabiles contortum conglomeratumque apparere primùm solet; et jam hic locum, à capite haud paullò sejunctum, sibi vendicat. Nondum ab humanâ operatione, & tam novitio malo repertum est cer-

Dd. 4

cum

(a) lib. 3. cap. 25.

tum aliquod medicamentum: nihilominus; quia singulari Dei providentiâ atque benignitate, apud Deiparâ Lindam quædam quasi Panacæa atque Panchrestum, est constitutum, non potest etiam jus tanti mali non absolutorium esse. Experti id factum non pauci, quorum suspenſa in Æde Lindenſis pillamenta, ne horrorem intuentium oculis inciderent, ſacculis incluſa pendent. Expertus inſuper hoc tempore eſt, nobilis ac Generoſus ex Maſovia vir Joannes Gozloſky; qui III. Non. Junias Lindam adiit, & quæ jam percenteſo, coram ſanctè enarravit, adeoque manu ſignavit ſua. Graſſabatur autem mox proxime elapſo ſæva peſtilentiæ lues. cum alibi tum in eâ quoque Maſoviæ orâ, in qua ille, haud procul Oſtrolenka, tum degebat. Interea corripitur ille quoque morbo, eoque admodum vehemente, ita ut & corpus per hebdomadas quinque obſtrictum planè eſſet, & molem corporis ſuſtinere pedes amplius non poſſent. Omnium ſenſus erat, hominem, eiusque familiam totam, ſonticâ peſtilentiæ aura fuiſſe afflatoſ: unde vix ullus hominem eiusque familiam affari, nedum accedere, toto illo morbi tempore audebat. Equidem conſtitit omnibus deinceps, non peſtem ſed familiarem illum Poloniæ morbum eſſe, cum ſe in plicam per inextricabile capillamentum ſenſim evolveret: neque tamen quidquam præſto eſſe potuit aut medicamenti aut levaminis. Rebus igitur iam deſperatis rogat uxor, ut nuncium, quod ſuper eſſe poſſet, complecti præſidium & ſe ad Deiparam Lindenſem velle devoveri Annus æger, & voto per coniugem factò, revaleſcere et temp

templo caput; paulloquē post, non modò extra morbum, sed etiam extra omne pestilentis auræ periculum jam constitutus, cum Susanna, paris nobilitatis ac pietatis consorte, liberisque suis venit, ac votum Deiparæ exolvit; quæq; hic memorata sunt, posteaquam sacra Pænitentia & Eucharistia Sacramenta usurpavit, suâ manu hunc modum confirmavit.

Ego Ioannes Goëtorosky, pro personâ meâ, & idem recognosco, ex voto chara conjugis meæ mp.

C A P V T X V.

Etiam à fide, Ecclesiæque Catholicæ alienis, eadem per B. V. Lindenstem, præstita beneficia.

Cælestis ac prorsum divinæ indolis est, non personas, sed calamitates, quibus opitulere in genere humano respicere. Semper hæc in Deipara Virgine eluxit, quæ sicut neminis censum, aut decus, aut domum eligit, ita quoque nullius fastidit aut vitæ aut sordes, parata in omnes (dummodo & ipsi, ad capiendum sint parati) maternæ pietatis sinum visceraque effundere. Quod apud Lindam Marianam tum vel maximè patet, cum à se filiique sui Ecclesiâ disjunctis, dummodo supplices esse velint, semper vult præsto esse.

I.

Nobilis ex Ducatu Prussiæ matrona, à capitis doloribus per B. V. sanata, Ministri hæretici publicam incurrit objurgationem.

Vt pleræque in Ducatu Prussiæ, ita & hæc nobilis

Dd §

lis

his matrona Lutheri sectæ addicta fuit. Talis nihilominus cum esset, neq; atrocissimis cephalæ doloribus remedium uspiam inveniret, coacta est Deiparam Virginem, intra sacrum ipsi apud Lindam sacellum accedere & supplex esse. Quo loco cum aliquantum orasset, dolor omnis ope Deiparæ abactus est. Neque mulier domum redux celare beneficium familiares suos potuit, uti sanè nec debuit. Verum cum illa pluribus id memoraret, et jam ad prædicantis aures fama pervolavit. Hic ille, campum scilicet Martium industriæ suæ nactus, cum privatim, tum in fano publico, pro professoriarum more modoq; concionum, in matronam, quantumvis genere & domo illustrem, continere bilem non potuit, quin etiam publicè eam evomeret, & grandibus illis, in pelvî natis, fulminibus detonaret. Quæ quemadmodum retulimus, testes omni exceptione major, Illustris ac Magnificus Dom. Otto à Grœben (de quo pluribus libro 3. memoravimus) Anno MDCXXXIX. ad III. Cal. Jul. memoravit; eo dignior fide, quo fuit matronæ illi genere propinquior.

II.

Mulier villana, primùm capitis, deinde etiam manuum ac pedum cruciatibus liberata.

Sorquiten pagus in Ducatu Prussiæ est, duobus amplius leucis austrum versus Lindâ disjunctus. Quoad fides Catholica totâ viguit Prussia, pagus ille ad Bisburgensem Archipresbiteratum spectabat: ubi vero infusa Prussiæ hæresis illum quoque locum occupavit,

cupavit; Sorquitenſis cum omnibus vicinis Paræciis, ab illo Archiprebyteratu revulſa, Curioni Biſburgenſi ſolum Parochi nomen reliquit. In eo igitur pago Dorothea Georgii Preus graviffimis capitis doloribus quinque ante annos exagitata, neque ullo hominum ſubſidio uſquam adjuta, à Deipara Lindenſi adjuta eſt. Nam ubi ſe voto futura Lindam peregrinationis obſtrinxit, omni morbo conſeſtim ſoluta eſt: proinde & ipſa non deſtitit voto, quo tenebatur, ſe quantocyus exolvere. Porro cùm procedente tempore, idem, aut gravior etjam dolorum manus tum pedes occupâſſet, non aliò ſibi Dorothea quàm ad eandem apud Lindam fautricem recurrendum cenſuit. Itaque cum plura morbo tenerentur membra, plura etjam vovit anathemata; præ cæteris vero cerea manuum ac pedum ſimulachra, & ceream inſuper candelam, quacum ter Aram ſacellâ geniculatim obiret. Hiſce votis cum ſe adſtrinxiffet, conſeſtim omni manuum pedumque dolore ac morbo iterum exoluta, peregrinationem Anno Domini MDCLIV. ritè obivit.

C A P U T X V I.

Amentes ope Deiparæ Lindenſis curati.

NE quid eorum, quæ ad humani corporis arcẽ ſpectant, videamur præteriſſe, ab aliis humani capitis morbis ad curationẽ Amentix gradum faciamus. Tameſi enim alii quoq; morbi hominem de ſtatione mentis

mentis

mentis possent dimovere; id tamen potissimum illi, qui in capite sedem habent, facere solent; cum caput & cerebrum intellectus, iudicii, mentisque homini quædam quasi officina sit: quâ quidam malè affectâ, necesse est & animæ functiones exerrare. Quod dum evenit, haud facilè remedium alibi reperitur: reperitur tamen apud Deiparam Lindensem.

I.

Faber lignarius aliquot hebdomadas mente motus, voto ad B. V. Lindensem facto, sibi restituitur.

Martinus Vlrich, cuius jam ante mentionem fecimus, Heilsbergæ apud fabrum lignarium strenuè aliquamdiu egerat; uti fortasse & nunc, per Deiparam sibi restitutus non minore industriâ agit. Quæ emotæ mentis homini causa fuerit, non satis constat; constat nihilominus eo usque progressum fuisse morbum, ut hominem animi impotem per aliquot hebdomadas reddiderit. Cæterum & in ipsa mentis exerratione, diu firmata erga B. V. pietas non exerravit. Pro pietate igitur suâ, mentem subiit asyli auxiliisque Lindensis, simulque voti ad B. V. concipiendi. Concipitur votum, & mox tum mens, tum eam sanitas corporis homini rediit. Quam ille, cum Deiparæ Lindensi secundum Deum in acceptis referret, ut etiam gratias, quoad posset, referret, Lindam venit, & voto rite perfunctus est.

II.

II.

Homo villanus ab amentia, è morborum dolorum-
que vi orta liberatus.

Anno MDCLIII. Christophorus Barkel ex Ol-
bersdorff Vormditensi villa, à Iunio mense ad No-
vembrem usque cingulo tenus gravissimos toto
corpore passus est cruciatus, ut neque se movere. ne-
que ab aliis moveri, quin & attingi, sinere se posset.
Magnitudine quocirca ac varietate cruciatuum ad
adamentiam usque redactus, ac sui prorsum impos,
illud duntaxat potuit, ut pro veteri in Deiparâ reli-
gione, illi se totum addiceret, & votum peregrina-
tionis Lindensis faceret. Neque Deipara clientem
suum deseruit, cui subito & mentis & insuper vi-
rium usum ita restituit, ut ad VII. Cal. Iul. pedes i-
ter duodecim circiter leucarum ingredi, & sa-
nus atque vegetus Lindam usque progredi potue-
rit.

III.

Matrona Vormditensis delirio, filiulus ejus alio
morbo, & pecora lue simul
liberantur.

Sub idem tempus, atque ex eodem propè loco,
Anna civis Vormditensis, Andreae Beit conjux,
Deiparæ Lindensi votum coram suppliciter reddidit.
Multa simul calamitates muliebri pectus, quin &
mentem expugnarant. Nam & pecora, quotquot
ferme erant, subita lues morbi que invâsere, & filio-
lus, qui omni pecore opibusque multò erat gratior,
dolorum acerbitate pedes ita contractus erat, ut gra-
dum

dum facere nequaquam posset, denique & ipsa mulier, vi morborum undique oblitâ, ad amentiam redacta jam erat. Quod unicum in tanta malorum iliade supererat, salutem omnibus fuit, pietas videlicet in Deiparam Virginem. Ad eam, tanquam ad sacram anchoram, recurrit calamitosissima mulier, & si menti salutique pristinae redderetur, cum ad alia loca quaedam, tum verò potissimum ad Lindam Marianam peregrinationem voyet. Vix illa votum ediderat, cum & ratio, quæ de sede sua erat dejecta, & sanitas tum mulieri, tum filiolo, tum denique etiam pecoribus est reddita. Neque illa cunctandum deinceps rata, mense Julio Anni MDCLIII. Lindæ votum, quâ par erat, gratitudine reddidit.

IV.

Colonus Sturmhublensis, à phrenesi curatus.

Ad IV. Id. Iun. Anni MDCLIV. voti religione, qualigatus erat, sese absolvit Gregorius Schwarck, ex Sturmhubel Resselienſis ditionis colonus. Pertinaci morbo de potestate mentis dimotus erat; & cum ipse præsto sibi auxilioque, in ea mentis exerratione ac phrenesi, esse non posset, adfuit conjux; quæ beneficiorum Deiparæ Lindensis satis gnara, ad illos beneficentiæ divinæ fontes, quibus illi sensuum cerebrique æstus restinguerentur, virum censuit admovendum. Fecit ita, & voto pro viri incolumitate Lindam nuncupato conjugem, biduo vix dum exacto Deiparæ ope sibi menti que redditum ita recepit, ut conti-

nuò ad exolvendum Lindæ votum, votis precibus-
que ſuis comitaretur.

V.

Etjam hæretica mulier, vicinorum injuriis ad Phre-
neſin, aut potius furorem adacta, Deiparæ
Lindenſis, auxilio ſanata.

Et hæc quidem Catholicis ſuis, benigniſſima Dei
Mater ita præſtitit, ut tamen etjam à ſua filii que
ſui Eccleſia diſjunctos non poſſet non miſerari,
& recurrentium ad ſe non miſereri. ANNO MDCLII.
in quodam pago Wola dicto, Dominorum ab
Heideck ditioni in vicino Ducatu ſubjecto,
mulier degebat, Adami Kolenczik uxor Catha-
rina. Vicinis, qui eandem villam incolebant, mulie-
rem, incertum quâ cauſâ, acriùs infectantibus, &
quâ verborum contumeliis, quâ aliarum acerbitate
varietate que injuriarum vehementius identidem
inceſſantibus, injuriæ vulnerum inſtar, etjam, quàm
pro muliebri impotentia par erat, altiùs ad animum
descenderunt: & cum illa neque per vindictam ef-
fundere bilem atque iram, neque per ſexus imbecilli-
tatem animivè impotentiam concoquere injuriam
poſſet: ſi non in rabiem, certè in amentiam præcep-
ſit. Adhibita tum ſunt. fortaſſe ab ipsis quoq; ini-
micis ſortem miſeræ ſerò miſerantibus, omnia, quæ
præſto eſſe poterant, præſidia; verùm præſidia hu-
mana omnia ſuperabat malum; altiiores quippe radi-
ces egerat, quàm ut humanæ eo vires conſilia que
ſeſe penetrarent. Quocirca, ut reliquis in
Ducatu etjam Pruliæ poſitis, unicum apud
Deipa

Deipa

Deiparam Lindensem præsidium supererat flagitan-
dum; quod ubi flagitatum est, Alexipharmaci instar
erat. Posteaquam enim peregrinationis ad Lindam
Marianam votum nuncupavit; protinus & menti,
& sensibus, & sanitati restituta est; venitque paullo
post, videlicet ad VII. Cal. Jul. Lindam, & non si-
ne lachrimis, quæ sibi ab hominibus, quæque à Deo,
per B. V. evenissent, ingenue falsa, Deo & Deipara
laudem dedit.

CAPUT XVII.

Energumeni, vel à Dæmoniis vexati, ope Deiparæ Lin-
denfis curati.

Miserabilis admodum est conditio eorum, qui vel
suâ, vel hominum aliorum culpâ, dementis
potestate abeunt; sed multò et jam miserabilior eo-
rum, qui Dæmonum nequitia in eandem proturban-
tur calamitatem. Neque minùs miserandi, qui,
Deo justissimè sanctissimeque permittente, ob sua,
vel suorum delicta, ita juri Dæmonum potestati que
traduntur, ut quanquam in animum jus illi imperi-
umque exercere nullum queant, in corpora tamen
facultatesque hominum sævè grassentur. Quas ta-
men contra Dæmonum molitiones, præsentissimè
est Deiparæ, cum alibi tum apud Lindam Marianam
præsidium; ut & antidoti instar sit, sicubi illi
aditum tentent; & cathartici, sicubi jam aditum oc-
cupavit.

I.

Matrona Vormditensis, à dæmone, usque ad ipsius
vitz periculum exagitata, apud Lindam Ma-
rianam Deiparæ ope, à Dæmonis po-
testate liberata.

Anno MDCXXXIX. ad XII. Cal. Junias Matriona
quædam, pistoris Vormditensis conjux, peregrina-
tionem, de consilio Virginum, quæ in conventu
Vormditensi piè ac religiosè degunt, ad B. V. Lin-
densem susceptam, & voto stabilitam, absolvit. Cau-
sa tum peregrinationis suscipiendæ, tum voti nuncu-
pandi fuerat, ab hoste Tartario jam positæ mulieri
insidiæ. Multo enim tempore illam variè exagitârat,
& terroribus, nocturnis pariter atque diurnis ita ob-
ruerat, ut neque quietem nocturnam capere, neque
diurnum ordiri laborem miseræ jam liceret, ne di-
cam liberet. Dies igitur æquè atque noctes miserrimè
excuciata, quid, nisi suum ipsa apud se agitaret in-
teritum? Et jam non omnino securum erat, vel cul-
trum illius permittere manibus; ne fortè, quod o-
mnes meritò verebantur, pectus ante suum, quàm
quidpiam, etjam esculentorum, ferro hauriret. Ergo
miseræ quæritur tum alibi, tum apud illas in Con-
ventu virgines remedium, vel, si id deesset, consilium.
Illæ nusquam magis, quàm ad Deiparam Lindensem
recurrendum suadent. Persuaserunt; votum illa pe-
regrinationis Lindensis nuncupat, pauloque post
ipsum prolequitur iter. Ubi Lindam mulier etjam
num ægra, est deducta, & purgato per sacram exo-
molo-

Es

molo-

mologesin animo, sacrosanctæ dapibus Eucharistiæ
refecta; ab omnibus è vestigio, tum animi tum
poris ita perfanata est angustiis, ut proximam, quæ
admodum & secutas deinceps noctes, quiete pla-
deque traducere, & omnia divini laboris officia,
cæterarum matrum familias more, explere potuit.

II.

Figulus vicinorum odiis ad insaniam, inde ad ma-
festas tartarei hostis insidias adactus, implora-
tâ Deiparæ Lindensis ope, adjutus.

Eodem tempore, videlicet ad xv. Cal. Octob.
Matthæus Scharff, opificio figulus, Lindæ apparuit
& penitentiaæ atque eucharistiæ munitus prædicti
votum, quod Deiparæ fecerat, dependit. Vicinorum
civium simultates, quas cum homine contraxerat
atque odia, primùm quidem homini curas & dolorum
rem, inde angustias & amaritudines, perpetuas
animi tempestates concitavêre; ut de se, deque
sua, haud multum sana agitaret consilia; parum quæ
abesset, quin violentas ipse sibi inferret manus. Hinc
occasionem non omnino calvam, quanquam à re-
go, malus ab Erebo machinator arripuit. Hominem
enim silvas aliquando ingressum, quamvis in al-
tibus, adoritur, & nihil minus quam ipsius me-
entem insidias, per capillitium reprehendens a-
trahit. Obvertit homo anxius vultum, & neminem
tergo conspicatus, agnovit mali comitis pessimum
consultoris, pessimum oppidò consilium. Itaque
tra se versus, cum divæ Lindensis memoria sub-
ad

ad eandem ſe vertit; & ſi in iis animi corporiſque anguſtiis conſtitutum adjuviſſet, peregrinationem ad ſacrum Lindæ ſacellum ſpondet. Adjutus eſt ſubito, & tum ab hoſtis tartarei machinis, tum ab animi ſæviſſimis liber tempeſtatibus, incolumis juxta ac tranquilluſ, iter paulò poſt ingreſſuſ, votum illâ eâdem, quâ memoravimus, die, auguſtæ Matri apud Lindam ſolvit.

III.

Homo infidiis mali genii exagitatuſ, & ad laqueum propè adactuſ, priùſ quàm Lindæ voto defungeretur, Deiparæ præſidium ſenſit.

Hoc ipſo undequadreſimo ſeculi anno, ipſiſ Noniſ Junii, vir quidam è Meelſaccenſi ditione Reſſeliam acceſſit, inde Lindam (ut vorum, quod Deiparæ nuncupârat, exolveret) perrecturuſ. Voti nuncupandi cauſa, à mali genii infeſtatione, fuit. Neq; enim ille clam duntaxat, verùm & clarâ luce hominem aggredebatur, ut citra cuſtodiam, & aliorum præſentiam, præſidiumq; hominum, relinqui ſoluſ vix poſſet. Fuit, cum ſe aliquando hominiſ ſpecie dabat ſpectandum, & (pro ſua ſcilicet in mortaleſ liberalitate) funem atque laqueum, ut de ſe homo illiteratuſ longam ſaceret literam, & illo ipſo laqueo gulam elideret, miſero offerebat. Tantis ac tam manifeſtiſ Dæmonis infidiis, cum homo ille eſſet obnoxiuſ, amicorum luasu, ad Dei Matris, quæ tartarei illiuſ ſerpentiſ caput contrivit, præſidium ſe recepit, factoque voto, ſe Lindæ comparituruſ, & Virgini

Augustæ supplicem, pro futura incolumitate futuræ
promisit. At piissima virgo, prius quàm ille Lindæ
supplex adesset, vota hominis anteverit; & san-
tatem, atque ab infero hoste præsidium, eo ipso
ac tempore, supplici clientulo impendit. Sanus igitur
& ab hoste undique securus, Resseii pænitentia
cris expiatus, postridie Lindam adiit: ibique reddens
augustæ Matri voto, in divinissimæ Eucharistiæ espe-
lis, panem Angelorum, quo ille Angelus abyssi æternum
carebit, manducavit homo.

IV.

Vir, à malis geniis ad furorem adactus, per votum
B. V. Lindensem factum, sibi, & sanitati resti-
tuitur.

Haud multis interjectis inde diebus, videlicet
VII. Cal. Jul. adfuit, ex Meelsaccensis itidem munici-
pii villa, *Stengegen* dicta, homo statura vastus, & vir-
bus, ut parebat, robore que præstans; sed vultu labi-
stis, & qui ingentem animo curarum tristitia que
fulam nubem tegere, imò præ animi intemperis pa-
rum sibi videretur constare. Nimirum, prius quàm
Lindam accessisset, & apud illam, quæ *sole amicta*, a-
que ut *Sol electa*, cælo terra que lucet, caliginem an-
mi, quæ supererat, dispulisset, recurabant identidem
quas ab illo tenebrarum Principe, obductas habu-
erat animo tenebras. Ita enim hominem miserum
que de que agebat, ut ad suspendium sæpe stimu-
ret. Neque unum se, uni homini ira esse infestum
bebat latis, assumpto quandoque de stygia colubæ

sono, & quasi succedaneâ, in eo cum hominibus bello, victimâ gemini se in conspectum misero dabant, & chiopibus terriores, & quâ minis, quâ aspectu ipso horrendi. Multos dies homo infelix, sine custodia & hominum præsidio neque debuit, neque potuit relinqui solus. Tandem sive suo, sive aliorum potius consilio, ad DEI Matris præsidium se confert: & invilendæ Lindæ Marianæ voto obligat. Jam ille tum sanatus quidem est, ita tamen, ut non modica tristitiæ nubes animo relinqueretur offusa; quoad & hæc demum apud Lindam penitus est dissipata; & homo novâ, quâ animi, quâ corporis luce perfusus, gaudioque plurimum delibutus, novam animi corporisque tranquillitatem domum reduxit.

V.

Hæretico quoque homini ædes spectris & lemuri-
bus, infestæ, hominesque periculis Dæmonum
obnoxii, per B. V. Lindensem liberati.

Quæ memoravimus, suis à DEI Matre Catholi-
cis præstita sunt; quod jam sequitur, ad alienos quo-
que derivatum est. Erat in vicino Ducatu agricola, cu-
jus ædes malus genius sibi reddiderat obnoxias, &
spectris identidem adeò infestabat, ut & voces non-
nunquam horribiles audirentur, & strepitus frago-
resque totam concuterent domum; supellexque
adeò domestica, aliaque quæ uspiam essent obvia,
per ædes surlum vorsum disjicerentur. Neque jam,
sine manifesto vitæ discrimine, versari iis in ædibus
videbatur posse incolæ. Quid ageret? aut quò se

verteret præsidii causâ miser paterfamilias? Apud suos, quos vocant, Pastores, nihil sciebat virium esse, adversus lupi illius tartarei vim & rabiem; ad catholicos homo alienus non facilè reperiebat aditum. Audierat Lindensem Deiparam, nulli ad se præfuisse unquam aditum, apud quam patens semper tutum esset asylum: eò proinde se recipit; & si ab importuno, tamque maligno hospite liber ac immunis evasisset, spondet unâ cum conjugè, Lindense supplicem, cereis cum candelis, primo quoque tempore ad futurum. Audijt hominis vota precesque Deipara, & Tartareum inquilinum, iussit ab ejus adibus momento exesse. At colonus ille, videns se tan feliciter voti reum factum, non distulit datam magnæ Matri fidem redimere: quod Anno MDCXXXII. peractâ Lindam peregrinatione, piè & alacriter præstitit.

C A P U T XVIII.

Fascino vel maleficiis perstricti, Deipara Lindensis ope restituitur.

Multa per se Dæmones possunt, sed multo plura atque etiam diriora, cum perditis hominibus operam suam, quasi locando, navant; & per maleficiorumque artes, in humanum genus grassantur. Quando sibi relinquuntur soli, tamen plura possunt, Deo tamen minus permittente, ipso operam præstare atque exequi non possunt. Verùm cum socias quasi manus, hominis farii, adjunctas habent; hoc est, cum alicujus voluntatem hominis (cui Deus in hoc vitæ statu atque conditione, quasi mancipio suam potestatem tradidit)

sibi obnoxiam, & ad nutum facilem obsequentem-
que habent, tum enimvero eò crudelius in huma-
num genus sæviunt, quò verius est illud Synesii : *Ca-*
lamitates hominum, convivia esse malorum Dæmonum. Ne
porò in tantis, & tam multis Orci periculis, huma-
num genus suis destitueretur præsiidiis, providit bo-
nitas divina contra malorum Dæmonum venena,
Angelorum honorum aliorumque cælitum, & in pri-
mis B. Virginis augustissimæ Dei Matris præsidia,
quæ etiam apud Lindam Deiparæ sacram, omnibus
præsto sunt & fuerunt.

L

Matrona Gutsyadiensis, maleficæ fascino affecta, &
quasi in spiram contracta, per B. V. Lindensem
restituatur.

Anno MDCXXXIV ipso Deiparæ Elitabetham vi-
santis festo, inter alios propè innumeros, Linden-
sem Deiparæ Ædem, visitavit matrona honesta, civis
Gutsyadiensis conjux; & gratias pro sanitate, in hoc
ipso ad sacram Ædem itinere, sibi restitutâ, supplex
egit. Intercesserat illi, cum muliere quadam, malarum
artium, ut fama ferebat, maleficiorumque; haud igna-
rà, si sive potius rixa muliebris; & ex lite, ut fit, accen-
sa sunt odia ac vindictæ studia. Rixam haud sanè
diuturnam, diuturnus fatis morbus confestim exce-
pit; si ve halitu ipso veneficæ, ut fieri solet, afflatus; si-
ve fascino aliove maleficio maturatus. Quâcunque
tandem viâ, aut modo, vis mali ad miseram per-
rupit, miserimè profectò illam habuit; ut brachiis
cæterisque artibus contraheretur, & sensim quasi
Ee 2 in spi

in spiram volveretur: neque secus ac illa mulier evangelica () inclinaretur ad terram, ne sursum aspiceret. Poterat quocirca de hac dici, quod de illa Christus Dominus dixit, *hanc filiam Abrahæ Satanas alligavit*. Sicut autem Christus Dominus illam per se, ita hanc curavit per Matrem suam. Illi simul manus imposuit, erecta est, & glorificabat DEUM; huic pariter auxiliarem suæ Matris admovit manum; ut non corpore duntaxat, verum & mente ac spiritu erecta, glorificaret DEUM. Cùm enim nihil aliud reperiretur contra stygii hostis venena ulpiam remedii, ad Dei Matrem conversa mulier, vovit, se & sacram ejus Ædem Lindæ adituram, & expiato per Confessionem animo, sacrosanctum Christi corpus in Eucharistia sumpturam. Vix absolverat votum, cùm habere melius cœperat; &, quamvis viribus necdum satis confirmatis, iter nihilo minùs est ingressa. Quo in itinere, prius quàm Lindam pervenisset, vires, sanitatemque integram recepit.

II.

Matrona ac materfamilias Brunsbergensis, tum in re familiari sua, tum in se quoque ipsa, malitiosis perstricta, voto Lindam facto, adjuta.

Ad III. Idus Jul. Anni MDCXXXVII. Dorothea Pauli Haselpulch civis Brunsbergensis uxor, tanto majore pietate ac studio votum sospitatri Lindæ dependit, quantò plura fuerant, quibus per illam

(a) Luc. 13. 12.

fuerat liberata, maleficia. Quatuor ante annos stygius ille serpens, strigis alicujus ope, totam propè domum veneno, quasi halitu quodam, afflârat. Nam & equi ceteraque pecora, vi illius veneni quotannis extinguebantur; & hordeum, quod coquendæ cerevisiæ parabatur (braseum vulgo appellant) ut nulli profum esset usui, vitiabatur; & ipsa quoque, si quando prosperè cessisset, vigorem saporemque omnem cerevisiæ amittebat: denique & ipsamet omnium miserima mater familias, ejusdem maleficii vi, morbis variis obsepta, atque miserandum in modum excruciatâ est. Verumenimverò, ut aliàs semper, ita nunc quoque collum serpentis illius caputque, illa inter mulieres benedicta contrivit; securumque est, quod hymno 3. Cathem. cecinerat Prudentius;

Auctor & ipse doli coluber

Plectitur improbus, ut mulier

Cella trilingua calce terat:

Sic coluber muliebri solum

Suspicit, atque virum mulier.

Et intrâ. Hoc odium vetus illud erat,

Hoc erat aspidis atque hominis,

Digrediabile officium,

Quod modò cernua famineis

Viperâ proseritur pedibus.

Hoc disertè, coram divino ante Eucharistiam tribunali, facta apud Lindam Dorothea est: quoniam, ubi primùm Deiparam Lindensem voto facto, præsidii causâ appellavit, omnis mali vis resedit, & tum ipsa, tum domus universa ad pristinam fortunam incolumitatemque rediit.

E e §

III. Filio-

III.

Filiolus viri Nobilis, vi maleficii, & oculos & pedes distortus. B. Virg. Lindenſis ope ſanatus.

Anno MDCXLII. iſtis Idib. Octob. advenit, una cum conjuge & filiolo ſuo Alberto, nobilis vir Albertus Raysky, Telonii Prasnienſis Notarius; & voto, quod tum ſuo, tum multò magis filioli ſui nomine, divæ Matri apud Lindam pepigerant, ſolverentur. Experti ſiquidem magno cum dolo, damnoque erant, quod S. Hieronymus ex vulgi opinione (a) ſcriptum reliquerat: *Faſcinum nocere & arati parvula, & his, qui necdum firmo veſtigio figant gradum. Sive enim faſcinum aliquo oculi humani vitio fieri queat, quod & vulgò, & Poëtarum pueris placuit, ſive potius, quod cum S. Hieronymo (b) viri prudentes docent: Dæmones huic operi ſerviant*; ita, ut, quos malefici faſcino perſtringi volunt, non tam oculis ſpectantium, quàm operâ miniſterioque Dæmonum perſtringantur. Utrumque memorato filiolo Alberto evenit; nam & oculi in diverſum ita distorti erant, ut non niſi *obliqua tuentibus hircis* cernere poſſet (ſiquid tamen cernere potuit, qui diuturno tempore, nihil aut vix aliquid potuit intueri) & pedes ita inſtixi, aut potius contracti, ut neque gradum figere, neque, ſi fixiſſet, conſiſtere diu poſſet, quin maximo cum dolore parentum in terram provolveretur. At, ubi parentes & ſe, & filiolum, voto ritè concepto Deiparæ Lindenſi obligârunt, omnis & faſcinantium, & Dæ-

(a) ad cap. 3. Galat. (b) loc. cit.

& Dæmonum vis enervata, pueroque & pedum & oculorum sanitas, Deiparæ Lindenensis ope reddita est. Quod ita prorsum, uti diximus, evenisse ipsemet pueri parens hunc in modum manu suâ consignavit; *Adamus Raysky Notarius telonei Prasniciensis*; & insuper ad posterorum memoriam beneficii accepti monumentum Tabellam argenteam Lindenensis *Ædis Aræ* dicatam appendit.

IV.

Primæ inter Brunsbergenses notæ matrona, cujusdam malefici carminibus pedes contracta & contorta, ac toto corpore contabescens, per Deiparam Lindensem sanata.

Anno MDCLIII. ad XII. Cal. Aug. Catharina D. Joannis Jung Consulis Vormditensis, viri de patria optimè meriti filia, Domini Petri Lemky, inter cives ac negotiatores Brunsbergenses faciliè primi conjux, Deiparæ Lindensi supplex gratias coràm egit; illique sanitatem ac vitam maleficiis sibi ereptam, in acceptis referte professa est. Pauculos ante annos rogo absumptus est Brunsbergæ, infamis ob maleficia veterator, nomine Kohlpies, planè ad S. Scripturæ phrasin *inveteratus dierum malorum*: nam & pater ipsius annulus senex, quinquaginta propè ante annos, rogo itidem, eadem ob maleficia, absumptus fuerat; & ipsummet maleficiorum ac malefactorum jam suorum pigebat; ut & à pacto cum Dæmone inito,

inito, ope industrii de Societate Jesu sacerdotis, aliquando resiliens; & cum postea *canis redisset ad vomitum*, ab inferendis, aut saltem frequentandis tot maleficiis, sibi statuerit temperandum. Verum (quod implemet in quæstionibus ante rogum factus est) à malo genio, ut quæ agenda susceperat, ageret, hoc est, ut maleficiis grassari ne cessaret, identidem stimulabatur; nullam ut domi quietem à pessimo sollicitatore habere posset. Et quia sacris in ædibus magnam inveniebat quietem, majorem diei partem, aut saltem antemeridianum tempus fere totum in templo, ut quiete qualicunque frueretur, continebat. Inter eos, quos aut prorsum perdidit, aut gravioribus maculavit infortuniis, dicta Catharina fuit. Accesserat, ut pannum ab ea emeret; & emisisset potè, si paratam ac præsentem attulisset pecuniam: quam cum non haberet, pannum quoque habere non potuit; quia absente tum marito Catharina, homini nullius fidei merces, citra paratum æs, extrudere verebatur. Hic præstragiator ille, tum irâ suâ, tum mali genii odio inflammatus fascinum innocenti mulieri admovit. Tanta fuit maleficii vis, ut mulier ætate & viribus florens, toto corpore sensim contabesceret; & cum cæteri artus torquerentur omnes, tum potissimum pedes adeoque ossa in obliquum distorquerentur, quemadmodum præter maritum & alios, ipse quoque parens hoc ipso anno Lindæ præsens, sanctè alleveravit. Quid non remedii undique admotum est: quæ non pharmaca tum domi, tum Elbinga ac Gedano adhibita? Quid non maritus, & propinqui omnes, in ea matronæ afflictissimæ calamitate egerunt?

runt? At nullum erat medicamentorum medicorum-
que genus, quod prostratæ eum in modum sanitati
prodesset. Rebus itaque omnibus jam desperatis,
spes unica à *Matre sanctæ spei* oblata est. Ipsa merægro-
ra, ultro omnia alia valere iussit, & unicum, quod à B.
V. Lindensi expectabat, ac certò sperabat, præfidi-
um amplexa est. Voto se Lindam Marianam invi-
sendi obstrinxit, & tubi dè revalescere cæpit; ut pauld
post Lindæ voto defungi potuerit. Ab eo tempore
quemadmodum valetudine viribusque integris
fruitur, ita nullum sinit præterire annum, quin vel
ipsa, vel maritus, vel etjam uterque Lindæ adsint, &
debitas *Matri Dei* gratias agant.

V.

Mulier rustica amissum, ex magica incantatione bra-
chii usum, *Deiparæ Lindensis* ope recipit, & ad
agendas quorannis gratias divinitus
compellitur.

Anno MDCLII. ad III. Id. Aug. *Margareta Luca*
Radigk, ex *Blumnau* pago, agricolæ uxor, exemplo
suo docuit, quâ animi gratitudine *Dei* ac *Deiparæ*
beneficia gratiamque prensare ac pensare debeant
mortales. Quatuor anni præterierant, cum amissum
ex magica incantatione brachii sinistri usum, *Deipa-
ræ Lindensis* beneficio receperat. Promiserat quip-
pe, si ab eo veneficio, magnæ *Matri* ope libera eva-
sisset, triennem ad lacellum Lindense peregrina-
tionem. Assecuta est, quod precabatur, & pari fide,
quod sponderat, præstitit. Tribus enim proximo
confe.

consecutis annis, nullum omisit peregrinationis annuæ tempus. Et jam se omni, sive erga B. V. gratitudinis officio, sive iter agendi labore defunctam rata, etiam gloriari fortasse visa est ac dicere. Nunc, De gratiâ, vota mea absolvi. At vix ista erat prolocuta, cum iteratò malum rediit, & brachii ejusdem usus, succedentibus, autè ant, doloribus, proflum abiit. Crederes radicem mali, intra corpus humanum quasi defixam, fibras agere, ac nisi Deiparæ curâ cultu que prohibeatur, in germen ut erumpat, semper esse paratam. Itaque, cum & hic iteratò erupisset, quò misera muliercula, nisi ad medicam Deiparæ manum, iteratò confugeret? Confugit, &c, quoad vita sibi superstes esset, statam quovis anno peregrinationem, ad sacrum Lindæ sacellum sanctè promisit. Neque Deipara omisit, supplici clientulæ opem iteratò asferre. Illa ergo saluti iterum restituta, perpetuè deinceps peregrinationis juxta ac gratiarum actionis initium hodiernâ die fecit.

C A P U T XIX.

Nervici & Contracti, per Deiparam Lindensem sanati.

AD instar mulieris illius, quam sacra Evangelii historia *inclinatam* appellat, plures se hîc sive inclinati, sive contracti, sub aspectum offerent. Illam constat vi Cacodæmonis id vitii contraxisse; isti utrum solo naturæ vitio, an verò etiam aliquo hominum dæmonumvé maleficio ita fuerint affecti, haud perinde constat. Cùm porrò inter contractos, aliorum pronus sit raptus, qui & Emprosthotonos dicitur, quia

quia ad partes anteriores vergit; alius supinus, qui ad posteriores, ideoque episthotonos nuncupatur, qui & quales hinc fuerint, quia proditum literis non invenio, quod affirmem non habeo; nisi quod omnes universim, juxta Joann. 5. 3. appellari possint *aridi*; eò quod venis, arteriis, nervisque, quacunque tandem ex causa, vel exarescentibus, vel duntaxat obstructis, corpus totum, vel aliqua illius pars ita exarescat, ut sit motus, ac fortasse etiam vitæ expertus, vel ad usum prorsus inepta.

I.

Mulier in Masovia contracta, voto Lindam nuncupato, curata est.

Ad VI. Non. Jul. qui dies visitanti DEIPARÆ sacer est, Anno MDCCCXVI. ex Ostrolenka Masoviae oppido, viginti circiter leucis Lindâ dissito, visitavit Lindam Jacobi Gowarenga filia, & ob receptam Deiparæ auxilio sospiratem, vota gratesque DEO reddidit. Magno & diuturno morbo ita conflictata erat, ut membris denique omnibus resolutis, nusquam se loco movere posset. Ubi verò propitiam in vota divam Lindensem vocavit, salutem ilico affecta, Lindam voti rea se contulit; & expiato per sacram exomologesin animo, tum suo, tum aliorum, qui unà advenerant, testimonio roboravit, Patre Christophoro Schenck, qui pœnitentem audierat, rem per omnia accuratius examinante.

II. Cor-

II.

Corpore toto contractus, simili voto sanatus.

Anno MD CXXXVIII. ad IX. Cal. Junias, accessit Lindam Andreas Schmidt civis Allensteinensis, ut iis se votorum vinculis, quibus morbi plures erant abacti, expediret: Manus juxta ac pedes, totumque adeo corpus fuerat contractus ut neque recta consistere, tantum abest, ut aut progredi quoquam, aut opus quodpiam aggredi posset. Recta ergo mentem ad divam Lindenensem vertit, & simul ac se vinculis adstrinxit votorum, vinculis confestim, quibus manus, pedes, totumque corpus alligabantur, *absolutus est.*

III.

Puella tredecim hebdomadas contracta, matris voto, DEI Matri oblata, restituitur.

Ad IV. Calend. Jun. Anni MD CXLII. puella quaedam, è Strabuncken Heilsbergensis municipii villa, comitante ac deducente matre, votum Lindæ solvit. Anno proximè elapso diutini vi morbi, ad cruciatum alios, nervorum quoque accessit contractio; ut per hebdomadas tredecim miserè decumbenti spes quoque vitæ fuerit præclusa; pro deposita quippe ab omnibus habebatur. Mater in summa omnium desperatione, omnem, quæ supererat, spem, aut potius fiduciam, in Deiparæ pietate ac benignitate defixit; & filiam, tametsi jam depositam ac deploratam, ad pedes Marris DEI ponendam statuendamque

CCX

cenſuit. Voverit proinde, ſe unà cū filia ſi revaluiſſet, au-
guſtum ipſius ſacrarium Lindæ adituram. Vix mater votum abſolverat, cū etiam filia à morbo,
vel potius à morte, extemplò ſoluta, citra moram deducta eſt Lindam; ubi, quemadmodum P. Simon Hein ſcriptum reliquit, mater adjurata, ſanctè alle-
veravit, credere ſe, filiam B. V. ope ſanatam eſſe.

IV.

Trauburgeniſis mulier contracta, dum aliam ſui loco Lindam mittit, domi convaleſcit.

Anno MDCXLIV. ipſis Cal. Julii, adfuit Lindæ ſæ-
mina quædã Traumburgo, gratias Deiparæ coram actura, quæ jam ante, per aliam, ab ſe conductam, ſupplex Deiparæ fuiſſet. Pedes enim & pleroſque alios artus ita prope convoluta erat, ut ad omnia prorsum eſſet inutilis atque imbecilla; tantùm abeſt, ut ad peregrinationem Lindenſem, quod unicè avebat, accingere ſeiſam poſſet. Aliã quocirca ſui loco Lindam miſit, per quam & donarium, pro ſua tenuitate, Deiparæ obtulit. Accepit Deipara munuſculum haud ſanè levidenſe; quippe ab ingenuo ſuplicantis animo, magnâ pietate atque ſingulari erga ſe fiducia profectum; nevé beneficiis ſuperari videretur; par, ut ajunt, pari reddidit; vires quippe ac ſanitatẽ agrotæ eodem tempore reſtituit. Mulier proinde ſimul ac ſanitati reſtituta eſt, iter Lindam verſus arripit; & uti par erat, Deo ac Deiparæ coram ipſa gratias agit.

V.

**Matrona Vormditensis pedes ac totum corpus
enormiter contracta, emissio Lin-
dam voto, confestim sanitati
restituta.**

Anno MDCL. ad IV. Id. Septemb. Anna muni-
pis Vormditensis Matthæi Siwert conjux, cum
de causa, suo loco memoranda, Lindam venisset
simul & illud ad Dei Deiparæque gloriam, quod
ante biennium de Dei benignitate evenisset, co-
ram testibus fide dignissimis recensuit. Nervis toto
corpore adstrictis enormiter contracta ita erat, ut
ob raptum pronum, erigere se, aut sursum prospicere
nequaquam posset; ob pedum verò contractionem,
non nisi genibus nixa molem corporis sustinere, ac
reptando circumagere utcunque posset. Tentata
sunt omnia, quæ inveniri, excogitarique in tempo-
re poterant remedia; verùm omnia incassum Despe-
ratis ergo ac procul faceffere jussis præsidis huma-
nis, ad divina, & cum primis ad Divam Lindenem
animo, cum non posset corpore, sese erexit; votum-
que peregrinationis Lindenensis concepit. Ita grata fu-
it Deiparæ oratio supplicis, ut confestim mulier ita
enormiter contracta, & quoad corpus erecta, &
quoad pedes confirmata, exiguo post intervallo vo-
tum, quod nuncuparat, planè incolumis Lindam per-
solverit.

VI.

Matrona Brunsbergensis dextrum latus contracta,
& colicis doloribus excruciatâ, Lindâ re-
dux ſanata.

Anno proximè conſecuto, Prid. Cal. Iun. Petri
Wegner civis Brunsbergensis uxor, Lindam ex
voto profecta, ſupplex Deiparæ fuit. Fuerat enim
cum cæteras corporis partes, tum verò dextrum la-
tus graviter contracta. Cui malo accessit & aliud;
Sæva videlicet tormina viſcerum & colici circa præ-
cordia cruciatus. Supplicem Virgo divina audivit,
ira tamen ut poſtulatam ſanitatē non nihil differen-
do, ſupplicis clientulæ, & in ea aliorum quoq; fidem,
pietatem, ac fiduciam magis exerceret. Nam illa è ſa-
cello Lindenſi præter ſpem ac fiduciam, vix aliud ſe-
cum extulit. Qui, quanquã magnus ſanè fuerit the-
ſaurus, ad Lindam Marianam quaſi erutus; adjecit
tamen Deipara alium, jam extra ſacellum poſitæ cli-
entulæ. Ipſo propè momento, quo domum verſus re-
legere cepit iter, tum membriſ affectis vigorem, tū
pedibus gremium largita eſt. Et, ne quid ad cumulum
liberalitatis deſſet, etiam tormina internosquæ vi-
ſcerum cruciatus quaſi abſterſit; ita, ut ad hanc diem
matrona illa Brunsbergæ ſuperſtes vivat, & viri-
bus animi corporiſquæ vigeat.

VII.

Novogrodensis è Lituaniâ matrona, ab insolente
& immani membrorum contractione, nau-
quam niſi apud B. V. Lind. ſoluta.

Anno MDCLII. ad VII. Idus Julias, ab ipſo uſque

Ff 2

Novo-

Novogrodeco (quæ civitas sexaginta circiter leu-
 à Linda abest Mariana, & juxta præcipuas mag-
 Ducatus Lituaniæ urbes censetur ad sacellum Li-
 dense advenit, vel potius adrepsit Marina Ioanna
 Nagorny superstes vidua Adrepsit, inquam, quæ
 non curru, ut antè solita erat, non sanis usâ pedibus
 sed fulcris nixa subalaribus, tantùm itineris conferebat.
 Duos annos totum corpus contracta, vel potius
 spiram, & quendam quasi glomum coacta (nam
 reliqua membra ægrè sedibus cohærebant suis,
 genua ori atque capiti adducta, & quasi affixa hæ-
 rebant humanis insuper præfidiis undique destituta,
 ad divina totam sese vertit. Quæcunque igitur
 loca sacra, miraculorum gloriâ, peregrinationibus
 hominum, aut profusâ gratiarum divinarum largi-
 tione illustria uspiam esse audierat, adire, opemque
 illic de cælo implorare statuit. Et adiit sanè, non vi-
 ciniora duntaxat, atque in ipso M. D. L. lita, Zy-
 rowicze atque Iuchnowicze, sed etiam longissimè
 alibi posita, præsertim vero clarum montem Cze-
 stochoviæ in majore & calvum montem in minore
 Poloniâ illum pictâ ab S. Luca imagine, hunc li-
 gno sacrosanctæ Crucis, à S. Emerico, S. Stephani
 Hungariæ Regis filio dono oblato illustrem atque
 inde impressâ typo testimonia atque Aedituo-
 rum cujusque loci caractere signata attulit.
 Sed beneficium hoc, augustæ apud Lindam Dei
 Matri, providentiâ divinâ ita singulariter dispensa-
 tante, relictum erat. Posteaquam enim quarto sæv-
 entis morbi anno, quorundam amicorum narratio-
 ne, de Linda Mariana, rebusque ibi gestis nonnulla
 didici,

didicit, continuo animum ad peregrinationem eò
capessendam adjecit. Monita verò à nonneminè a-
micorum, ne iter hoc, quemadmodum cætera, cur-
ru & equis faceret, sed potius, quoad posset, pedes
prolequeretur, hoc quoque secuta est consilium. Er-
go votum illud peregrinationis non modò intra se
concepit, verùm & differtim nuncupat; & ecce mox
quarto post die in sese ipsa erigitur! ita ut & respice-
re sursum propriis viribus, & pedes non nihil figere
humi posset. Ad quod Deiparæ beneficium, etiam
animo magis erecta in spem, postridie fulcra bra-
chii subijcit, iisdem nixa iter è vestigio arripit. Len-
to quidem, prospero tamen gradu, auspicata iter,
quo plus confecisset itineris, eò plus non jam, ut mo-
ris est, languoris sed potius roboris viriumque ex-
petiti in se, ideoque alacrius in horas pergere, quoad
proximum Lindæ in Ducatu pagum, vulgo Pettschen-
dorff prætergressa, vicinumque Lindæ nemus ingres-
sura, sibi, viribusque suis prorsum restituta, abje-
ctis fulcris, sine ullo etiam Scipionis adminiculo iter
carperet, & alacritatis gaudii que plena sacellum Deipa-
ræ Lindensis ingressa, populo, qui sat numerosus ad-
erat, præsentè, & ad fœminæ, insolitâ animi lætitiâ
gestientis, introitum stupente, Dei ac Deiparæ in se
beneficium magnificè prædicavit; lacrisque myste-
riis pro more munita, gratisque Deo atque Deipa-
ræ actis, sana & gaudens domum est reverta. Ne
cui verò grati erga Deiparam animi defuisse officio
videretur, recurrente postmodum Anno MDCLIII.
ad VIII. Idus Julias iterum Lindam regressa est, &
multis coràm exposito, de prædicatoque Dei ac Dei

Matris in se beneficio, pari aut etiã majore animi
titiã, quàm superiore anno, iter suũ iterũ est remen-

VIII.

Civis Heilsbergensis, pedum contractionem Deiparæ
Lindentis ope amolitur.

Anno MDCLIII. ad III. Cal. Aug. civis Heilsber-
genſis Andreas Gorrius, ex fide, quæ ſecum biennũ
antè eſſent geſta, percenſuit. Sex circiter hebdoma-
das, nervis pedum vitiatis atq; contractis, neq; gradu
promovere, neq; ulquam tuto conſiſtere potuit. Po-
tuit tamen pro ea, qua in Deiparam erat, fiducia ac
pietate, ad ejuſdem ſc. Atylum Lindentẽ meliori-
bus animi greſſibus provehere. Voto igitur Lindam
nuncupato, in currum deportatus, Lindam faciliẽ ve-
nit, animum ſacrã exomologeſi, poſtmodum verò
etiã ſacrã Synaxi reſecit. Reſectum continuò et-
jam corpus eſt, & pedibus vires redditæ; ut & ambu-
lare probè poſſet, & Deo, quemadmodum juſerat,
ac Deiparæ gratias agere non deſineret. Qua et-
jam de cauſã, non omiſit ſequentibus annis, ut
ampliores redderet gratias, Lindam identidem re-
currere.

IX.

Duæ mulieres eodem morbi genere, per B. V.
Lindentem liberatæ.

Sub hoc ferè tempus (nam de die, & anno niſi
certi proditum invenio) Barbara Helmonia, &
Lokau Seeburgensis territorii pago, & alia quædam
mulier, uti varia nervorum, venarum, arteriarumque

convulsione plurimum afflictæ, ita varia nequidquam medicamenta expertæ, ubi per facta ad B. V. vota, Lindam recurrerunt, non minùs votorum, quam morborum vinculis, peractâ Lindam peregrinatione, absolutæ, Deo ac Dei Matri, quas poterant, gratias egere.

X.

Ancilla pedes contracta, voto Lindam nuncupato convaluit.

Anno MDCCLIV. Matthæi Majer ex Elditen, Vormditenſis municipii pago, filia, Vormditi apud heram. ad rei familiaris ministeria, operam addixerat suam; & cum tempore, neque ignavè neque infeliciter munere suo defuncta est; quoad contractis, incertum qua ex causa pedum nervis, neq; heræ, neq; sibi amplius esse usui potuit. Non sunt neglecta, quæ undique fas erat peti, remedia; sed nullum profuit. Profuit tamen agræ deficiente pedum usu, non defuisse, quin imò auctam fuisse in Deum ac Deiparam spem atq; fiduciam. Pro ea igitur, quam hera quoq; eximie concitabat, fiduciâ, votum ad Deiparam Lindensem concipit; subitoque meliusculè habere cepit, ac brevi post admodum probè convaluit; ut prid. Cal. Jun. & Lindam accedere. & votum juxta ac gratias, Divæ Matri potuerit exolvere.

XI.

Civis Vormditenſis, ab offusa oculis caligine, & contractione membrorum liberatus.

Fabianus Braun civis Vormditenſis caligine oculis

Ff 4

subitò

subitò offusa, utriusque usuram luminis amisit. Contulerat ille quidem se cubitum incolumis, at nō cōtra, minùs dulcem in somnum clausa sunt lumina. post die enim experrectus, utroque se orbatum oculo advertit. Verùm cum Divæ Lindensi ceræ pōdo, peregrinationemq̄e vovisset, sensim lux oculis rediit, ut duas intra hebdomadas integra valeudo redierit, non tamen diuturna. Quanquam enim oculi valerent, spina tamen dorsi gravissimè affecta fuit, ut contractis vehementer nervis, repere, aut non nisi graviter inflexus, ægerrime posset loco progredi. At, qui semel beneficentiam Dei paræ ip̄a probatam experientiâ, ad eandem se iteratò recepit; curruq̄e, ut poterat, consento, Lindam versus iter ingressus est. Vix duo passuum millia confecerat, cum de vehiculo descendens, sese facile erigit, quin & erectus facillè gradum quaquaversus molitur. Ita subitâ Dei paræ ope, & dolor omnis absterlus, & vires confirmatæ sunt, ut tres minimum leucas, citra dolorem ullum, pedes Lindam usque fuerit emensus. Quorum omnium luculentus fuit testis, Reverendus Dominus Capellanus Vormditensis; quo præsentè, & via comite omnia gesta sunt Anno MDCLV. ip̄is Calendis sextilibus.

XII.

Faber murarius, contractas à viginti annis manus, Dei paræ ope restitutas, ante omnia, manus ejusdem Dei paræ ædibus admovet.

Atque hæc quidem Orthodoxis, Dei beneficis

per Deiparam evenerunt; quod sequitur, homini, ut ab Orthodoxorum consortio, ita fortasse & à religione disjuncto, evenit. Oppidum est, duodecim leucas ferme Linda abjunctum, Lick vulgò, Polonis verò Helck dictum. In eo sedem fixerat Jacobus, opificio cæmentarius: sed manibus, jam ab annis circiter viginti contractis & arefactis, neque aliis, neque sibi amplius usui fuit. Ut tandem aliquando esse posset, à Diva Lindensi, de qua nemo, et jam in Ducatu Prussiz, ignorare jam potest, præsidium sibi petendum statuit. Sub æstatem Anni MDCLIII. Lindam accedit, candelam ceream Deiparæ offert, humi se abjicit, & protensis aliquamdiu in formam crucis manibus, humifixus, Deum ac Dei Matrem supplex deprecatur. Precibus ritè finitis, erigit sese, ut assurgat; & ecce vires manibus, imò manus sibi restitutas sensit. Neque potuit manus, quas Deipara restituerat, melius quam juxta ejusdem Deiparæ Ædem, ad laborem dudum intermissum, iterum instituere. Exorsus igitur à sacelli pavimento, quod refecit, in vicinis quoque sacello ædibus, furnum & alia extraxit; totasque in eo labore quinque hebdomadas exegit; tam postliminio sanus, & ad laborem omnem vegetus, quam præterlapsis tot annis, ex morbo desiderare coactus est iners atque ignavus.

XIII.

Mulier hæretica à contractione sanata.

Anno MDCLIV. prid. Id. Aug. Dorothea Martini Trauger, fabri ferrarii è Babzinsz, duas circiter leucas

Ff §

cas

cas diffito Lindâ pago uxor, præter candelam, gemmas in super manuum pedumq; effigies. è cera effictas, quas in conventu Virginum Resselionsium cõparârat, Lindam detulit. Interrogata à quodam è Societate Iesu presbytero, qua id de causa, cum à Catholicis sacris aliena esset, faceret, respondit, se duos ante annos, quatuordecim minimum hebdomadas contractam, neque manus neque pedes movere potuisse, quoad vorum Lindam fecisset. inde enim continuo fuisse sanitati restitutam. Qua de causa quoad, inquit, superstes fuero, quovis anno gratias actura Lindam supplex frequentabo.

C A P V T XX.

Articulares morbi & Paralyfes, Deipara Lindenfis ope, ab humanis corporibus extortes.

Contractos propiore gradu sequi debent, tum ii, qui Paralyfi, tum qui arthritide laborant. In utrisque partes affectæ destituuntur motu; in paralyticis verò etiam sensu, quem arthritici, & quidem peracrem, retinent. Quanquam verò & ichthias & podagra, & chiragra arthritidi sint affines, ab hoc tamen loco sejungendæ erunt, ut ii duntaxat articularium morborum hîc memorentur, qui aut omnia, aut plura corporis membra occupando profligant.

I.

Mulier octodecim hebdomadas arthritide laborans, voto Lindam factò sanata.

Haud multos abhinc annos mulier quædam
Stanis

Stanislai VViſtin uxor Helena morbo articulos propè omnes pervadente ita afflicta, ut per duo de viginti hebdomadas. neque manus neque pedes officio ſuo fungi, vel tantillum poſſent; ad Dei Matrem ſe vertit, & per illum, qui & ipſam & omnia fecerat, reſciti à tanto malo flagitavit. Quem in finem, & peregrinationem, voto ſuſcepto Lindam promiſit, & triplex Miſſæ ſacrificium, in ſacro Lindæ ſacello, ad Dei gloriam faciendum addixit. Audita eſt, & manuum pedumque uſu citra moram recepto, eorundem officio fungi exorſa, cæterorum operum non poſtremam voluit eſſe, quam promiſerat, ad Lindenſe ſacellum, peregrinationem.

II.

Nobilis è Maſovia vir, ſeptuagenario propior, paralyſi apud Lindam Marianam liberatus.

Quod ſequitur iisdem reddendum eſt verbis, quibus initio fuit ſignatû. Anno Domini MDcXL die ſecondâ Julii. Magnificus ac Generoſus Dominus Nicolaus Nieborski, in V Vengrzinoꝝ heres. annos ſeptuaginta circiter natus, conſcientiâ teſte, paratus etiam juramento firmare, edixit, quæ ſequuntur. Anno MDcXXXIX. menſe Junio, domum Præniſiõis reverſus, morbis variis, iſque periculofis ſubito correptus, adeoque dimidiâ ſui parte dextrâ, paralyſi tactus eſt. Accurrunt ilico ad ægrum propinqui, potiffimum verò filius Albertus Nieborski & filia Barbara, cum genero Stanislao Lyſakowski, in Myrzanowo & Lyſakowo heredes

herede suadent, ut quantocyus æger Medicum velle-
 tudinis curandæ causâ accersat. At ille, qui de mi-
 raculis B. V. Lindenhs non pauca jam antè audie-
 rat, rejectâ medici ope, spem omnem fiduciamque
 in B. V. Lindenhs sitam dixit. Id gener ubi audiit,
 sese viâ comitem cum uxore sponndit fore. Quo-
 circa adventante Visitat. B. Virg. festo, ægrum rhe-
 dâ imponunt, propè desperatum; ita, ut, dum Or-
 telsburgum transirent, prædicans hæreticus, pere-
 grinis fortè obviam factus, atque de ægroti condi-
 tione votoquæ certior redditus, suaderet, vetulum
 morbo atque ætate confectum, non Lindam sed ad
 sepulchrum satius esse ducendum. At illi, nihil pe-
 stilente ministri linguâ moti, iter prosequuntur;
 Resseliumquæ delati, ægrum eadem rhedâ vectum
 (quippe qui neque manuum, neque pedum, neque
 linguæ usuram haberet) Lindam usq; comitantur. Eò
 ubi ventum est, pridie Visitat. B. Virg ægrotus in-
 tra ædiculam sacello vicinam, cum loqui nullo
 pacto posset, per nutus R. Patri Petro Alshoff, So-
 cietatis Iesu sacerdoti, de peccatis confessus, atque
 postridie ad sacellum delatus, sacrâ synaxi refectus
 est. Vix hæc acta, cum subito intra sacellum æger ad
 se redire, linguæquæ, ac manus, & pedis usum reci-
 pere cepit: ita ut, cum domum redux Ortelsbur-
 gum iteratò transiret, atque prædicans antè dictus
 iterum obvius, ubi vetulum illum ac mendicum
 reliquissent, quæreret, & illum sanum oculis ipse
 suis intueretur, exclamârit, Iesu bone, video mira
 circa illum facta! Denique æger annum integrum
 sanitate rectâ usus, hoc ipso Anno, pro Visitatione
 B. Vir-

B. Virginis, ut gratum se Deo & B. Virgini pro accepta sanitate testaretur, reversus est: eaque, quae dicta sunt, in tabulas referri, atque authenticè signari voluit, in praesentia testium infra scriptorum.

Nicolaus Neborsky manu propria.

Idem attestor Paulus Mollerus Archipresbyter & Parochus Resselienfis mp.

Albertus Przechkovski Thesaurarius Terra Lomzensis, & Notarius terrarum Rozaven & Macoviensis Secretarius S. R. M. mp.

Idem testor Valentinus Majeovski Parochus Bisburgensis.

Idipsum testor Thomas Clagius Residentia Resselienfis Societatis Iesu superior.

Idipsum testor Stanulaus Zberovski Soc. Iesu.

Idem testor Georgius Grunenberg Soc. Iesu.

Pramissum testor Christophorus Schmidt Notarius iuratus Resselienfis mp.

III.

Faber murarius, Pœlplino Lindam usque propè reptando delatus, articulari morbo levatur.

Anno MDCXLII. è Monasterio Pœlplinensi Ordinis Cisterciensis in Pomerellia sito, advenit faber murarius, diu in illius Monasterii obsequiis versatus; sed articulario morbo ad extrema perductus. Nam & manuum & pedum quin & laterum usum perdiderat, ut consiliter vix posset, & oculi ipsi caligine offusi, nonnisi obscurum quiddam, & quasi pernebulam cernerent: denique unico corde excepto, quod vividum semper ac micans experiebatur,

toto corpore nihil sani erat reliquum. Neque verum
 quod tantis malis occurrere posset, medicamen-
 tum quidquam occurrebat. Ad Deum igitur, & ad Dei-
 para Lindensis præsidium se confert, peregrinatio-
 nem (etiam si vel ad rependum Lindam esset) voverit,
 & sine mora iter, non tam ambulando, quam re-
 ptando ingressus est. Mira enim vero res! simul ac
 loco sese movit, allevari se non nihil, ac vires firmari
 sensit: quin, quò magis progrediebatur, eò sibi
 & animum, & robur magis augeri expertus est. Et
 tamen cum nonnisi quatuor supra vicinas leuca
 germanicæ essent conficiendæ, ea erat prostrata toto
 corpore valetudinis viriumque ratio, ut nonnisi se-
 ptimâ hebdomadâ dictum iter potuerit emetiri.
 Vbi Lindense sacrarium ingressus est, & per exomo-
 logesin à peccatis expiatus, etiam sacrosancto Eu-
 charistiæ pane refectus est, omni confestim morbo ita
 levatus est, ut, ne vestigium quidem, ullo in articu-
 lo, morbo hæreret. Regressurus domum, ad domici-
 lium Societatis Iesu, ubi tum Illustrissimus ac Reve-
 rendissimus Dominus Nicolaus Szyszkowski Epi-
 scopus Varmiensis, cum plurimis aliis hospitibus
 versabatur, pridie Cal. Martias divertit, & quæ sibi
 à Deipara Lindensi beneficia fuissent præstita, o-
 mnibus palam de prædicavit: donatusque ab Illu-
 strissimo Antistite insigni viatico, Pœlplinum gau-
 dens & alacer regressus est.

IV.

Prior monaſterii Olivenſis, à B. Virgine Lindenſi præſidium in articularibus morbis implorat.

A Pœlplinienſi Monafterio ad Olivenſe ut gradum faciamus non Ordinis duntaxat aut locorum, verum & temporis & morbi affinitas poſcit. Eſt Oliva Monafterium, leucâ circiter unâ Gedano, Occidentem verſus ſitum, à Sambario Pomeranorum Duce ſub Annum Domini propè MCLXX. Ordini Cifterciienſi ſtructurum; & è cineribus, quibus, per varia paganorum, hæreticorum, aliorumq; hoſtium incendia minimum octies fuit ſepultum, ad inſtar Phœnicis renatum. In eo ſub hæc tempora frater Edmundus Parſchau, Biſtenio, Varmienſi oppido ortus, primas ab Abbate partes, diu ſatis laudabiliter querebat; quoad articulari morbo depositus, & aliis nequidquam remediis uſus, vicinum à B. V. Lindenſi, natali ſibi ſolo admodum vicinâ imploravit præſidium. Iuvat ea de re loquentem audire tabellam argenteam, quæ de Reverendiſſimi Abbatis facultate Lindam ab eo miſſa eſt, ſic enim ſupplex ad B. V. libellus tabellæ inſcriptus habet:

Afflictorum omnium aſylum Virgo piſſima; ego ſervulorum tuorum minimus lecto affixus, pedum & manuum beneficio deſtitutus cor de ſaltē profundifſimo ad te ſuſpiro. Succurre laboranti; ſer opem gementi; quia peccatorum es Advocata potentifſima. ſuſcipe igitur præſentem tabellam, de voluntate Reverendiſſimi Domini mei Alexandri Keſovvſki Abbatis conſecratam.

F. P. Edmundus P. O.
V.

V.

Iuvenis agricola, morbo articulari ad extrema
redactus, voto Lindam facto
sanatus.

Anno MDCLIV. ad III. Non. Iun. Gregorius
Stang è Stegendorff Meellaccensi pago, Simonis E-
lert privignus, votum Deiparæ Lindensi ob ressi-
tutam ex arthritide sanitatem, exolvit. Quindecim
hebdomas lecto affixus decubuerat, capitis & o-
mnium artuum ossiumque cruciatibus vehementer
prostratus; adeoque iam depositus nil nisi mortem
opperiebatur, ad quam ritè obeundam subeundam-
que in illo agone luctam sacro extremæ Vnctionis
oleo iam erat perunctus. Hic mater, filii causâ votum
ad B. V. Lindensem nuncupavit, & filius, qui ma-
trem in illo rerum articulo admodum consternatam,
ad votum nuncupandum, propè reluctanter invi-
târat. eodem fere momento ad sanitatem rediit, nec
multo post, ut voto absolveretur, & Deo ac Deipa-
ræ gratum se sisteret, Lindam perrexit. Sed & in-
sequente postmodum Anno MDCLV. ad XII. Kal.
Iul. eadem prorsum de causa Lindam iterum revisit,
eaque, quæ memoravimus, disertis iterum verbis
sanctè affirmavit.

VI.

Mulieri quoque hæreticæ, arthritide labo-
ranti, Deipara Lindensis
succurrit.

Cæterum ut ad alios, ita & ad pellendos huius
cemod

cernendi morbos, etiam ab Ecclesia Catholica alienis
 Deipara Lindenensis opitulatur. Anno MDCLII. ipsis Ju-
 nii Calendis, mulier quaedam ex Curlandia oriunda,
 sed in Uladislawow, ad Prussiae fines in Lituania,
 haud longè Wierzbolovia satis diu commorata,
 Lindam marito comitante advenit. Diu se ad fidem
 catholicam vocari ac pellici sensit, sed non minùs
 diu (sive occasionem, uti prætexebat, haud satis com-
 modam nacta, sive potius procrastinando ac tergi-
 verlando diem die trufura, uti hominum istiusmodi
 mos est) distulit. Verùm non distulit tandem Ne-
 cessitas divina, stimulum potius quàm vindictam admo-
 vere. Sideratis paralyti membris reliquis, os quoque
 ipsum ac labia resoluta sunt, ut neque loqui, neque ci-
 bum sumere misera posset. Interea amici de Deipa-
 ra Lindenensis asylo beneficentiaque admonent. Illa
 magno illuc desiderio anhelare, votum peregrinatio-
 nis nuncupare; imò, si liceret, etiam in viam se dare.
 Licuit enim vero: quia simul ac votum nuncupavit,
 revalescere cæpit, ut iter totum, quod ad triginta cir-
 citer leucas protenditur, pedes emetiretur. Ubi sa-
 crarium Lindenense, atque unà per pænitentiae sacra-
 mentum ipsam Ecclesiam catholicam est ingressa,
 morbus ita abscessit, ut non tam ad tormentum,
 quàm ad retinendam beneficii memoriam, exi-
 guus admodum dolor sedem in sinistro brachio reti-
 nuerit.

Gg

CAPUT

CAPUT XXI.

Epilepsia, ac morbi comitiales Deipara Lindensis curatio
sublati.

EPilepsia, sive comitalis morbus, arthritide, paralyfi, cæterisque hætenus memoratis morbis, et videtur lenior, quòd non perpetuùm, ut illi, sæviendo durer, etsi per intervalla sæpius et jam intra diem currere nonnunquam soleat: sed quia hominem non motu duntaxat, ut fere illi, verùm & sensu adeo quæ ipsâ quadantenus vitâ orbat, & non jam accommodo naturæ motu, sed agitatione & miserabili convulsione, universas corporis vires ac vigorem profragat, multò est illis miserabilior ac detestabilior. Nihilominus, & huic sua sunt apud B. V. Lindensem remedia.

I.

Parvula puella, voto matris ad B. V. Lindensem factò, ab epilepsia liberata.

Sub Annum Domini MDCXXXII. Ursula Marini Heisch civis Gurstadiensis filiola, miserandum in modum fontico isto morbo discruciabatur: præterquam enim, quòd sæpius in die miseram affligebat, et jam longo supra morem tempore durabat. Cum afflictâ eum in modum filiolâ, vehementer afflictæ parentes, nullis parcebant sumptibus aut curis, ut aliam quâ tandem viâ malo occurrerent. Omnia nequidquam tentata; ut si non filiolæ morbus, certè parentum magis sit iis exacerbatus dolor; qui denique

B. V. Lindensem miseris viam aperuit. Mater in primis, quam fortasse viscera materna excruciabant magis, filiolarum nomine votum suscipit, & septies Lindam usque iter pedibus se ementuram spondet. Annuit matri supplicanti diva Mater, & filiolarum miserarum, à morbo tam diro eximiam deinceps præstitit. Neque mulier felicissimè voti rea, promissam ad lacrarium Lindensem peregrinationem distulit. Ad III. Calendas Julias Anni MDCXXXVIII jam sextum pedes Lindam profecta, filiolarum quoque secum adduxit; quæ, quemadmodum à morbo illo incolumis jam erat, ut ab animi quoque noxis expiaretur, sacro pænitentiarum sacramento refecta est, paulò post, ubi per ætatem lividisset, etiam divino Eucharistiæ epulo reficiens.

II.

Mulier divortium matrimonii pervicacissimè utgens, comitiali morbo plectitur, & ope Deiparæ Lindenensis ab utroque malo eripitur.

Quod sequitur, admodum reverendus Dominus Georgius Hoghaus, Archipresbyter & Parochus Allensteinensis tanquam probè conscius, & navis ovium suarum pastor, ad Dei & Deiparæ gloriam recensuit. Mulier erat Allensteini Potentiana, mercenarii cujusdam uxor, cætera quidem haud indiligens, sed marito suo peroffensa; adeò ut nihil magis, quàm divortium animo agitaret.

G g 2

quid

quin & omni conatu contentioneque urgeret. Cal-
lam divortii rogata, quæ vel ad speciem pro ea fac-
ret, nullam adferre potuit: itaque & Archipresbyter
& magistratus autoritate iussa est jugum, quod ultro
subierat, porrò trahere. At mulieri, non jam ratione,
sed quasi æstro quodam agitata, neque magistratus,
neque Curionis minæ, aut monita latis erant. San-
ctamen erat divina, quæ mox insolentem ac perva-
cem insecuta est, ultio ac pæna Comitiali enim mor-
bo correpta infelix mulier, vicies propemodum in
diem miserimè exagitabatur; ita ut partim domi,
partim in vicis quoque ac plateis prostrata miseran-
dum in modum discrucietur. Adhibita varia, quæ
poterant inveniri, medicamenta; neque tamen ullum
quidquam profuit. Unicum tamen ad B. V. Linden-
sem votum profuit, quod ubi miserima muliercula
nuncupavit, confestim & morbo fontico, & illo tam
infami æstro, ope Dei parentis libera, tam sibi inco-
lumis, quàm viro fida ac familiaris conjuncta firmè
deinceps vixit; quemadmodum memoratus paulò
antè Dominus Archipresbyter Anno MDCXXXVIII
ad IV. Nonas Julias sanctè attestatus est.

III.

Civis Vormditensis, à fontico morbo, per votum
Lindam factum liberatus.

Anno MDCXXXIX. pridie Calend. Julias Petrus
Busch civis & vignarius Vormditensis, Lindæ facti
pænitentia & eucharistia sacramentis refectus, de
metipso, à sacro morbo, per Deiparam Lindensem
in 17

in salutem asserto, palam est ad DEI & Deiparæ glori-
 am professus. Non paucos eo malo conflictatus est
 annos; neque tamen ullum, quod succurreret, phar-
 macum uspiam expertus. Supplex igitur ad Deipa-
 ram Lindensem accurrit, dataque ei sponione, pere-
 grinationem Lindam quantocytus suscipiendam pro-
 misit. Fecit paulò post, quod promisit: sed Deipara
 prior, quàm ille faceret, reddidit sanitatem, voti com-
 potem fecit.

IV.

Nobilis in Lithuania matrona, sacro morbo per vo-
 tum Lindam factum levata.

Anno MDCXLII. inter alais illustrissimæ magni
 Ducatus Lituanix Marecallæ Lindam, uti alias me-
 moravimus, visitantis comites, fuit nobilis & gravis-
 sima matrona Domina Justina Kratovicia; quæ co-
 mitiali morbo diu, & variè afflicta, nusquam nisi a-
 pud Deiparam Lindensem remedium invenit. Nam
 ubi voto peregrinationis Lindam suscipiendæ se ob-
 strinxit, restricta sunt ilico, quibus attinebatur, mor-
 bi vincula. Et jam à dimidio anno sanitati ita erat
 reddita, prius quàm ad IV. Non Octob. votum DEO
 ac Deiparæ coràm Lindæ redderet.

V.

Praefecti Piscationis è Malovia filius, voto Lindam
 factò, à morbo comitali sanatus.

Eodem quadragesimo secundo hujus seculi anno,
 G g 3 Alber-

Albertus è Parochiæ Colnensis in Matovia vic
Czerwone dicto, atque Lindâ viginti circiter mi
liaribus Germanicis diffito, voto & peregrinatione
suâ apud Lindam defunctus est. Filius is erat Præfe
cti piscationis, sed ob recurrentes fontici morbi pe
rnodos, neque ad halienticam artem, neque ad alia
sejuncta à piscatoriis opera idoneus satis erat. Popu
larium suorum Colnensium, qui peregrinationem
quotannis ad Lindam solent obire, exemplo morus,
ipse quoque votum Lindam concipit, statimque
morbo tam diro levatus, non illo duntaxat, verum &
insequentibus deinceps annis, Lindam gratias actus
revisit. Est enim, uti Colnenses ceteri ad VIII.
Idus Septemb. Anni MDCXLV. affirmâunt, probè sa
nus, ut extra ipsum quoque morbi periculum, Deipa
ræ præsidio videatur positus.

VI.

Coloni filiulus fontico morbo, per votum Lindam à
parente nuncupatum, exemptus.

Anno MDCXLIII. propè jam exeunte, Joanne
Preischoff, è Kleinau Brunsbergensis municipii pa
go, agricola, vicariam nomine filii sui peregrinatio
nem ad divam Lindentem fecit. Ad Herculeum
morbum, filiulus ipsius necdum satis Herculeum in
duerat, aut Hercules erat; nisi meliorem, quàm Her
cules, ad elidendos jam tum serpentes in corpori
morbos, fuisset nactus in Deipara Junonem. Tanta
igitur ope divinitus submissâ adjutus, & filius mor
bus

hum superavit, & parens in gratiis Deo ac Deiparæ
agendis vices filii supplevit.

VII.

Quatuor homines à morbo sacro liberati.

ADIV. Non. Junias ANNI MDCXLIV. è Meelsac-
censis municipii villa Herickau dicta, comparue-
runt Lindæ homines tres simul; quasi triplici funi-
culo, difficillimè rumpendo simul ducti: quia & fu-
niculi illi, quibus nervi, cæteræque sive venæ sive
corporis partes, erant perstrictæ, haud facilè rum-
pi poterant. Potuere tamen rumpi, & rupti sunt,
ubi homines illi voto Deiparæ Lindenfi se obligã-
runt. Eventus enim facti voti fuit, virium & corpo-
ris incolumitas; quam illâ quoque die, quâ Lin-
dam venerunt, testati sunt. Sub idem tempus, uti
in Commentariolo scriptum invenio: *Filia Domini
Bell. civi Heilsbergensis, morbo comitiali ubnoxia, voto
Lindam visitandi facta, convaleuit.*

VIII.

Lubaviensis Virgo, quatuor annos morbo co-
mitiali discruciatâ, ope B. V. Linden-
sis perlanata.

Anno MDCXLIV. ipsis Calend. Junii, Lubaviâ,
quæ duodeviginti minimùm leucis abest Lindâ,
plures adfuerunt peregrini; quos inter Regina Dan-
drowa honesta matrona votum filiolæ suæ causâ su-
sceptum exolvit. Decimum ætatis annum filia propè

excesserat, cum morbo sacro correpta quatuor annos integros cum eodem est miserrime conflictata. Nec minus filiae causam afflicta mater, cum remedium nullum praemanibus reliquum haberet (jam enim aliis admotis spes omnis decollaverat) in una Deipara Lindensi omnem spem fixit, & unam vim acerbiteremque morbi omnem confixit. Ab eo quippe momento, & filia morbo, & mater voto defuncta est. & hoc iterum anno Lindamadiens, iterum Dei & Deiparae opus beneficiumque confirmavit; & cum alios multos, tum spectabilem Dominum Gregorium Gierlofsky civem Lubaviensem, uti concivem suum, ita comitem itineris, rei gestae voluit esse testem.

IX.

Duo fratres germani comitiali morbo liberati.

Diebus proximè secutis, videlicet ad III. Nonas Junias, Georgius & Albertus ex Retich municipii Heilsbergensis pago, germani fratres, unam cum matre Lindam adierunt. Frater uterque, sorte, quae nati erant, citra comitia, non tamen citra comitalem morbum (quo citra ulla candidatorum suffragia gravissimè urgebantur) positi erant. Suffragia ad averendum malum nulla praemanibus erant; quocirca aliunde necessariò erant advocanda. Advocavit mater, ab ipsa usque Deiparae Lindensis aede, dum super commune aliis peregrinationis (quoad ipsa filii quæ viverent) pensum perpetuum, adjecit insuper statuam vel potius simulachrum & candelam certum

Etiam Acatolici morbo comitali per B.V. Lindens. exempti. 479
pondo ceræ constituta. Ita quidem mater vovit, sed
& filii ad votum matris convaluerunt, ut firmâ deinceps
valerudine uterentur.

C A P U T XXII.

Etiam ab Ecclesia catholica alieni, ope divæ Lindensis, à comitali
morbo curati.

Qvod Ecclesia Græca ore Simeonis Logothetæ,
quem aliàs Metaphrasten appellant, ad ipsas Ca-
lend. Aprilis in Menæis, de omnibus peccato inqui-
natis usurpavit, potest & de sectariis Deiparam Lin-
densem venerantibus atque invocantibus, haud in-
juriâ usurpari, nimirum: *Quonquam gravibus hereant
peccatis affixi, quibus Filium Virginis ad peracerbam pro-
vocant iracundiam, utpote malignis semper cogitationibus
implicati; Filium tamen Virginis propitium iis reddi, qui
Virginem, tanquam DEI genitricem, ex animo adorant.*
(a) Experti hoc sunt, etiam nostri vicini, cum in aliis,
uti vidimus, ac deinceps videbimus, morbis, tum in
Epilepsia.

I.

Puella, a mitæ voto mitigatam, ipso verò Lindæ adi-
tu sublatam epilepsiam experitur.

Jesau prædium est ejus, quem ut quondam Lindæ
possessorem, ita postmodum & cultorem singula-
rem,

G g 5

(a) Υἱὸν ἰλέε τὸν σὸν, τοῖς ἐκ ψυχῆς μητέρα τῆ θεῆ σῆ
πρεσβείνεσιν ἀμαρτίαις χαλεπαῖς ἐμμένεσι, καὶ τὸν ἐκ σῆ
τεχθέντα παραπικραίνεσι, καὶ τοῖς λογισμοῖς τοῖς πονη-
ροῖς συνεχοχομένοις αἰσί.

rem Dominum Ottonem à Groben sapius nominavimus, nunc verò filius ipsius Joannis Georgii, domini ac ditionis; in quo puella morbo epileptico, septem circiter annos excruciatam est; ut quandoque levis in dies singulos miserimè afflicta collaberetur. Miserata illius sortem aurita sœmina catholica, trati suo puellæ parenti suadet, ut vel ipse votum ad divam Lindensem nuncupet, vel sibi filia nomine nuncupandi potestatem faciat. Annuit ille; inde amita nepti principiè perluadet, ut jejunio in Deiparæ honorem suscepto, non nihil sese maceret; quod cum puella fecisset, ilico morbus ille tam validus remittere plurimum capit. At ubi puella, mense Decembri Anni MDCCXXVII. parente atque amitâ præsentibus, votum Lindæ persolvit, integram omnino recepit sanitatem; & Deiparæ secundùm DEUM, cum gratiarum actione, omnium quæ admiratione, eandem in acceptis retulit.

II.

Puella Bartensteinensis, parentum voto Lindam facto, ab Epilepsia sanata.

Anno MDCXLIV. ad VII. Calend. Quintiles, Bartensteinio (quod provinciæ Natangia caput, inter præcipuas Ducatus Prussia civitates censum, sex circiter leucis abest Lindâ) parentes filiam Deiparæ coram stiterunt præsentem. Quantumvis enim Lutheri sectâ, à Deiparæ cultu juxta ac sacello arcerentur, filia nihilominus calamitate ad utrumque compulsa sunt. Laborabat gravissimè sacro morbo filia,

nec

Esiam Acatholici morbo comitali per B. V. Lindenſem exempti. 475
nec minus ſulcepto è filia calamitate dolore paren-
tes. Quoniam verò non apud ſuos duntaxat, verùm
& apud cæteros mortales nihil repererunt opis, ad
opem Deiparæ Lindenſis, cujus mira opera celebra-
ti omnium voce quotidie audierant, ſe recipiunt. Vix
ediderant conceptum ad Deiparam Lindenſem ani-
morum, cùm filia omni eſt morbo ſoluta. Ut igi-
tur voto quoque omnes ſolverentur, Lindam ſe ad
agendas Deo ac Deiparæ gratias, citra moram, con-
tulerunt.

III.

Puella biennium morbo ſaero afflictæ, ope Deiparæ
Lindenſis per votum imploratâ, ſanatur.

Eodem Anno ad VIII. Calendas Sextiles, Matro-
na honeſta Angerburgo, jam aliàs hic nominato op-
pido, filiam puellam (quanquam utraq; alienis ab Ec-
cleſia catholica opinionibus eſſet imbuta) ad Deipa-
ram Lindenſem, ut gratias pro acceptis beneficiis
ageret, deduxit. Biennium integrum puella, cæduco
illo, ut vocant, morbo graviffimè fuit affecta, ut ſin-
gulis propè diebus ſexies arriperetur, & miſerrimè
quaffaretur. Verùm & arripi & quaffari deſiit, ubi B.
Virginis Lindenſis præſidium implorare cæpit. Voto
quippe Lindam nuncupato, omni eſt malo confe-
ſſim exempta: & nonniſi ad agendas gratias firman-
damque inſuper valetudinem Lindam proſecta.

IV. Pa-

IV.

Parentes filium sacro morbo laborantem, Deipara
Lindensi devovent, & subito incolumem
vident.

Ad XIII. Calend. ejusdem mensis, Schippenpeilo,
quod itidem in provincia Narangia situm oppidum
quinque circiter leucis abest Lindâ, parentes filii cau-
sâ Lindam advenerunt. Non constat, quanto tem-
poris intervallo filius fonticâ illâ lue fuerit affectus;
constat tamen gravissimè affectum fuisse; ut hæreti-
cos quoque parentes, ad accelerandum in ea calami-
tate subsidium, Lindam usque coëgerit recurrere.
Recurrerunt illi animo, ac voto pro filio, non sine
singulari fiducia, suscepto. Quod quidem votum,
majore etjam benignitate, piissima DEI Mater su-
scipit, quæ continuè salutem filio reddidit. Ubi id
parentes adverterunt, nihil cunctandum rati, Lin-
dam ad solvendum votum contenderunt.

V.

Mater voto Lindam facto, prolem caduco morbo
liberat.

Falckenau Rastenburgensis municipii villa est,
quatuor circiter leucas à Linda diffusa. Gertrudis An-
dræ Folckman, ex eadem villa, conjux, teneram ad-
huc prolem suam, comitiali morbo iterum atque
iterum exagitatam, maximo cum animi cruciatu
spectavit. Non potuit maternam pietatem hæretici
an-

Etiam Acatholici morbo comitali per B. V. Lindens. exempti. 477
animo hausta prohibere, quin ad B. V. Lindensem,
etiam contra suorum imperia atque edicta, recurre-
ret. Recurrit voto illuc nuncupato; & confestim de-
obienta prolis incolumitate gestiens, Lindam se ac-
cingit, votum in magna populi frequentia, etiam de-
geniculis adorando & Aram majorem ter genicula-
tim obeundo exolvit, ad VIII. Calend. Julias Anni
MDCCLV.

VI.

Dux sorores, per B. V. Lindensem comitali morbo
liberatæ, singulari pietate votum Lindæ
exolvunt.

Jucundum enim vero omnibus fuit spectaculum
ad IX. Calend. Julias Anni MDCCLV. quando Barbara
& Catharina sorores ac virgines, hæreticis parenti-
bus natæ, & ipsæ etiamnum parentum sectam, ore
magis quàm animo secutæ, votum Deiparæ Lindensî
dependunt. Georgio parente, in Municipii Nei-
denburgensis pago Jeyczuk appellato, ejusdem pa-
gi præfecto (Sculctum vulgò appellant) natæ. Altera
major natu Barbara quinquennio antè, morbum sa-
crum passa, non tam suo, quippe quæ per ætatem ad-
huc teneriorem de B. V. Lindensî inter sectarios pa-
rum audierat, quam majorum, ac præcipuè cognato-
rum suorum consilio votum Lindam fecerat, & sani-
tatem extemplo recuperârat. Et ecce biennio inter-
jecto, minor natu soror Catharina, eodem malo cor-
ripitur, atque intra diem ter & amplius exagitur!
Iterum cognati, quanquam Lutherani votum B. Vir-
gini,

gini adjuvante, & pro experientia, spem fiduciamque sororis accedente Barbarâ, votum priori simile concipiunt; nimirum, ut iter, quod tridui minimum intervallo constat, pedibus emētiantur; ut Templum Lindense accensos manibus cereos præferendo tergeniculatim circumteant; denique tit euntes ac redeuntes non nisi emendicato pane vivant. Barbara, quæ jam aliàs peregrinationem iis conditionibus absolverat, facile consentit; & ut soror consentiret, exemplo permovet. Non deerant, qui ob grassantium eo tempore militum insolentias, Wartemburgi, vel alio viciniore inter Catholicos loco, exolvendum censerent votum; sed major erat erga conceptum animo pietatem Deiparamque Virginem reverentia, quam ut periculis quibuscunque frangi posset. Quocirca, uti voverant, cum reliquo itinere toto, cum Lindæ, ut voto satisfacerent, contenderunt. Neque imber prolixè effusus, qui Lindam accedentes exceperat, impedire potuit, quin, ubi Aram latelli ter de geniculis obierunt, etiam sacellum ipsum, quamvis solum aquis permaduisset, nudis etiam genibus, passu quasi ad numeros composito, choreâ certe etiam superis gratissimâ, obreptarent.

CAPUT XXIII.

Claudi, aliisque pedum vitis laborantes, à Deiparâ Lindensi adjuti.

A Sonticis morbis ad paulò mitiores transeamus, non quidem, quod in his minùs videri debeat DEI ac Deiparæ beneficium (cum eadem sit *dextera Domini faciens virtutem* (a) sed quòd iudicio homi-

(a) Psalm. 817.

num, minoribus malis remedia plerumque respondeant minora. Quæ tamen hæc minora dici nequeant, quia à magna & omnipotente Dñi manu veniunt: à qua, juxta regium vatem (a) *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates eius.* Exquisita prorsum; & quidem in omnes voluntates ejus; quia ut alia sit voluntas Dñi elephantum, alia culicem vel formicam creantis, utrobique tamen accuratè exquisita est; quia, quemadmodum Anonymus Paraphrastes apud Corderium exponit: *Quodlibet opus eius, quod perficere voluit, accuratè explevit, nihil supervacaneum, nihil defectuosum habens* (b) Quocirca, magna opera Domini in curandis morbis lonicis; sed & in aliis, non minùs itidem magna; quia & in curatione morborum ad mortalium judicia leviorum, admodum sunt exquisita atque accurata. Quod jam vel in claudorum curatione manifestò appareat.

I.

Mulier amissum pedis utriusque ulum, Deiparæ Lindensis ope recuperat.

Anno MD CXXXVIII. ad V. Idus Septemb. mulier quædam è Freudenberg Seeburgensis municipii pago Ludirectoris uxor, ut voto exolveretur, Lindæ adfuit. E continuo & diuturno pedum dolore, eò degenerat, ut amisso pedis utriusque usu atque officio, vix quoque pedes venire ac progredi posset. Quæsitæ sunt, & annum integram adhibita, quæcunque pote-

(a) Psalm. 110. 2. (b) ὅτι ἕκαστον αὐτῆς ἔργον, ὃ ἐβλήθη ποιῆσαι, ἐξηκρίβωται, εἰ δὲ περιστότι ἔχον εἶδὲ ἀλλήλων.

poterant, subsidia; nullum tamen profuit. Neglectis proinde cætera omnia, & ad Deiparam Lindensem conversa, subsidium inde quæsit; pedes, si sanita rediisset, ex voto Lindam aditura. Non irritæ fuerunt preces, dolore extemplo cedente, utus officiumque pedum rediit; & mulier, uti voverat, jam persanata, Lindam venit; quæque per Deiparam divinitus obtinisset beneficia, palàm omnibus deprædicavit.

II.

Honoratissimæ inter Guttstadienses Virgini, pes auxilio B. V. Lindensis restitutus.

Loquuntur id ipsi hodieque superstites puellæ parentes; loquitur ipsa, quæ superiore anno Brunsbergæ nupta est, primario civi Joanni Lemke; quæque singulis annis ob receptam à Deipara sanitatem Lindam revisit; denique loquitur id ipsum appensa Lindæ, instar monumenti, expressa coloribus Deiparæ Lauretanæ Imago, tres circiter cubitos longa, symbolis Deiparam è divinis literis adumbrantibus, & per sua sigillatim lemmata distinctis. Cui quidem Imagini, epigramma rhythmis Germanicis rei gestæ seriem enarrantibus, hujuscemodi adjectum est:

Im tausent sechshundert zwey vñ vierzigsten Jahr
 Hat sich zugetragen zwar/
 Andreas Jesichte in Guttstad Gertrudis sein Röck-
 War ganz verlahmet an einem Bein/
 Zur H. Lind den 9. Julii sein Gelöbnuß volbracht/
 Denselben Tag Gott das Kind gesund macht/
 Durch Fürbitte seiner Mutter schon/
 Der sey lob/ehr/in Himmels thron.

Juvi

Juvat id Latinis jambis reddere:

*Primo ac quaterdecimo huius anno seculi,
Gertrudis Andreâ parente Ieschkio
Prognata Gutstadi; pedem clauda alterum;
Ad septimum Idus Iulias, Linda suo
Defuncta voto, Numinus summi manu,
Precibusq; Deiparæ, saluti pristina
Est restituta. Laus sit inde Virgini,
Quæ regnat excelso poli super throno.*

Ceterum ipsæ rei series, quam ex altero parentum
Lindæ paucos ante dies præsentè audivi, ita habet.
Nonum circiter agebat ætatis annû Gertrudis, cum,
præter omnium spem, alter illi pes contractus est, ut
tribus circiter palmis brevior altero esset. Satis inde
erat incommodi, quod neque progredi quoquam,
neque insistere pedi ullo modo posset; sed accessit
inluper dolor per quàm vehemens; qui & puellam, &
parentes nimium quantum torquebat; ut nihil, quod
vel à chirurgia vel à medicina sumi posset, negligè-
rent remediî, sed quid remediî ars & humana admo-
veret manus ei malo, quod præsidia humana supera-
bat omnia? Versi quocirca parentes ad divina, Lin-
densis ante omnia Deiparæ opem implorant, & fili-
am è vestigio Lindam uterque deportant. Ecce au-
tem, ubi Lindam propius accesserunt, alter quoque
pedum, qui eò usque sanus atque incolamis erat (for-
talleur divina, quæ paulò pòst secuta sunt præsidia,
manifestiora inde redderentur) quanquam nihilo
contraheretur, immani corripitur dolore! Quò ma-
gis parentes ad implorandam Deiparæ opem accen-
si, filiam manibus de curru & strato (cui quàm mol-
liss-

H h

lissi-

liffimè ob doloris acerbitatem involvi debeat) tubulata, sacro Lindensi facello inferunt; & circumferant, pro more, ter non tam incedentem, ac neoptantem quidem, quàm manibus, ut antè, tubulata circumducunt. Profuit id, ut dolor ille, qui nuper me accesserat, extemplo recederet, puella que jam inde altero pedum niti haud mediocriter posset. Inde parentibus aucta, de alterius pedis sanitate, spes atque fiducia. Tamen si enim Lindâ perinde ægram, atque Gutstadio eduxerant, reducerent, minimè tamen dubitabant, affore, eum supremo placuisset Numini, integram filia sanitatem, neque spes in irritum veritate. Posteaquam enim domum reduces, ad proximam villam, quinque circiter passuum millibus inde hinc, diversorium sese receperunt, atque ut famuli puellam de curru stratoque, quàm cautissimè levaram, ad conclave deportarent, imperârunt, puella accedentibus ad se famulis, descendere jam de curru ipsa ultro per se nitebatur: sed jussu parentum, ne id faceret, prohibita, familiae manibus intrò deportata non nihil composita sedit. *Protinus* (quis enim vetet in causa haud dissimili, simili divinæ Scripturæ exemplo verbisque (a) *consolidata sunt bases eius, & planta: & exiliens stetit, & ambulabat, exiliens & laudans DEUM.* Nam & hic crura ac tibiæ, quæ sunt humani corporis bases, pristino robori viribusque sunt restitutæ; & puella non modò leniter inambulans, verùm & præ gaudii exiliens, ad sororculam natu minorem, accurrit, eamque complexa chorearum in morem tripudiare cepit: non sine stupore, ut iterum citatum Scripturæ

(a) Act. 3.7.

cum, exemplumque imitemur, & extasi cum ceterorum omnium, tum maximè parentum. Qui quidem, beneficii tanti haud immemores, in grati animi rei que gestæ monumentum, memoratam Deiparæ Laurentianæ Imaginem, ei que adjectum epigramma, divæ Lindensæ consecravit; & ipsi insuper, unà cum liberis, statà quovis anno peregrinatione, præsentem eandem venerantur.

III.

Civi Brunsbergensi pedum usus restitutus.

Anno MDCLIII. Jacobus Hepner civis Brunsbergensis, pedes inde usque ad Lindam Marianam venit. Et sanè decuit peditem, quamvis satis longum arripere atque decurrere iter. Usus enim pedum, quem prorsum amiserat, Deiparæ Lindensæ auxilio, paulò antè receperat.

IV.

Bisteinensis puella, amissum utriusque pedis usum mirà B. Virginis ope apud Lindam recipit.

Anno MDCLIV. ad xi. Calend. Junias, tenuioris quidem fortunæ, famæ tamen integerimæ puella, ex oppido Bischoffstein, fulcris nixa Lindam usque perrepsit. Diuturnus & gravis admodum dolor, omnem ei propè ademerat pedum usum, sed fiduciam ad Deiparam Lindensem, adimere, quantumvis afflictæ, haud potuit. Pro illa igitur fide ac fiducia, votum ad B. Virginem suscipit, & iter Lindam usque, H b 2 quoad

quoad potuit, et jam pedes, fulcris nixa, absolvit. Absoluto itinere, ipsa quoque absoluta est morbo. Vixit enim ac facellum est Lindense ingressa, pedes sunt è vestigio restituti, ut & consistere, & progrediqua quaverium probè posset. Fulcra igitur, quibus jam non egebat, recuperatae valetudinis anathema, in eodem appendit facello.

V.

Vir militaris ob curationem pedum Anathema suspendit.

Anno MDCLVIII. argenteum Deiparae anathema dicavit Joannes Schwenck, cum aliis de causis, tum quod pedum cruciatibus per B. V. esset exemptus. Huic rei argumento est lamina argentea, in pedibus haud exigui figuram efficta; cui lingua Germanica hujusmodi est adjectum epigramma:

Joannes Schwenck verehret dieses Schild
 und unser E. Frauen zu ehren / weil er in Königsberg
 vnter Churfürsten von Brandenburg / auch in
 Moskow viel gefahr erliden in Kriegsgefahr

VI.

Hortulanus è Masovia, dissolutis pedum & dimidiati corporis nervis ac vitibus, integrè apud Lindam Marianam curatus.

Quod sequitur, syngraphis & juramento nobilium, è Masovia virorum, quos dignissimos fide restitui inducemus (quippe omnes Lindae Anno MDCLVIII. Nat

Natali B. Virginis die præsentem adfuerunt, & tunc
 ibi, tum aliis deinceps locis, rei gestæ spectatores at-
 que testes fuerunt) egregiè stabilitum est. Hortulani
 partes agebat apud nobilem virum D. Jacobum
 Gorsky; nomen homini Matthæus erat: villæ autem,
 in qua degebat, itidem nomen Gorky, haud procul
 oppido Colno, in Ducatu Masoviæ sitæ, & ad Paro-
 chiam Lachovicensem pertinentis. Is ante sesqui-
 annum, cingulo tenus, ad extremos usque pedes, ner-
 vis arcibusque ita dissolutis erat, ut neque pedibus,
 neque genibus posset insistere; sed manibus duntaxat
 nixus, reliquam corporis molem trahere per villam
 solitus esset. Edoctus interea de divæ Lindensis in af-
 flictos beneficentia, votum suscipiendæ ad sacram il-
 lius Edem peregrinationis nuncupat; & subito re-
 valecere ita capit, ut non modò fulcris conniti, ve-
 rum & viam Lindam versùs ingredi posset. Illo ergo
 fulcrorum, multò verò magis B. Virginis communi-
 culo, viam sexaginta millium passuum Lindam usque
 emensus est. Cæterùm Lindæ voto solutus, multò,
 quam venerat, vegetior sensim domum suam rever-
 sus est. Ubi limen domus attingit, magis etiam confir-
 matas expertus est torius corporis vires, ut abjecto
 altero adminiculo, altero duntaxat niteretur. Quo
 quidem interea per annum, non sine maximo suo
 comodo usus, sequente deinceps anno, ad gratias
 Deo & solpitratri suam agendas, iterum Lindam per-
 rexit; & qui beneficii accepti memor, gratias ex ani-
 mo egit, majorem etiam Deiparæ gratiam expertus
 est. Postquam enim pridie Natalis B. Virginis ad

H h 3

Tem-

Templum venit, ita prorsum convaluit, ut nullum prorsum adminiculi egens, suis viribus in conspectu omnium solidos figeret gressus. Quod, præter alios testes jurati subscripsere viri nobiles, quorum nomina meminimus, *Ioannes Gorsky manu propria, Albertus Obiedzinsky manu propria. Adamus VVikovvsky manu propria.* Lindæ die VIII. Sept. præsentibus & audientibus Societatis Jesu Patribus Jacobo Herdell, Friderico Protman, & Petro Althoff.

VII.

Sartor claudus, Deiparæ Lindensî recuperatam sanitatem in acceptis refert.

Eodem Anno IV. Non. Junias, sartor quidam paulò antè claudus, jam verò tum probè sanus, Deiparæ apud Lindam gratias egit. Sicut enim, qui rectum pedum usum, nullum habebat, culpâ suâ (quam Deus vindicta ponè comitari solet) pedibus orbatus erat, ita qui Deiparæ Lindensî beneficio atque ope, cui voto se addixerat singulari, usum pedum receptis ipsos sibi pedes iterum videri potuit recepisse.

VIII.

Vuslacenſis colonus, incedendî facultatem impetrat.

Ipsis dicti mensis Nonis, Martinus Kraus è *Wolfflak Heilsbergenſis municipii pago, Lindæ adſuit, beneficii à Deipara accepti memor juxta ac gratia voto, quo obſtriſtus fuerat, ſeſe abſolvit. Promiſſam enim*

enim, si vitium pedum (quibus diu malè affectis claudus jam evaserat) Deipara sustulisset, aditurum se saceram ipsi Lindam, & preces, pro obtenta incolumitate, cum gratiarum actione cumulaturum. Sustulit, quod rogata erat, vitium Deipara; neque ille distulit, quod pollicitus erat, confiteri, & in sacra Deiparæ Ede beneficium prædicare.

IX.

Matronæ duæ Vormditenses pedum manuumque sanitatem à B. V. obtinent.

Non facilè divinaris, pedum an manuum gravioribus afflictæ fuerint cruciatibus, ac vitiis, duæ è Vormditensi civitate matronæ: quæ pridie Idus ejusdem mensis Lindam accessêre. Utraque & manus & pedes, graviter affecta erat: proinde utraque ad Deiparam Lindensem, primùm quidem voto ritè concepto recurrit. Deinde verò ob incolumitatem secundùm vota receptam, utraque Lindam gratias actura, non sine gaudio suo, & spectantium admiratione voluptateque singulari accurrit.

X.

Virgo Heilsbergensis, octo annos è pedibus ægra, sanatur.

Sub idem circiter tempus, Barbara virgo Heilsbergensis, octo annos gravissimè pedibus laboraverat; voto autè Lindæ factò, repente convaluit. Unde nihil amplius morandū rata, restitutum gradiendi officiū,

nulli prius quam DEO, & Deiparæ impendit. Suis ergo pedibus Lindam profecta, votum cum singulari gratiarum actione dependit.

XI.

Claudio pellionis Allensteinensis filio, magna cum admiratione & gaudio civitatis, sanitas Lindæ restituta.

Annua, pro more aliàs nobis laudato, supplicationem instituerat ad Lindam Marianam civitas Allensteinensis mense Julio millesimi sexcentissimi ac quinquagesimi primi Anni. Honoratissimi inter cives, qui ut aliàs, ita eo tempore frequentissimi aderant, spectabilis erat N. Ehtel pellionis filius, non tam à genere, quam à fortuna Claudius, vel Scipio dicitur. Plures enim annos claudus, non nisi fulcrorum adminiculo gressum domi forisque promovebat. Ea nihilominus fuit adolescentis pietas, & in B. V. Lindensem religio, ut ab illa civitatis supplicantis pompa abesse nollet; & majore animi alacritate, quam virum facultate, octo circiter leucarum iter unè intraderetur, ac fulcrorum suorum adminiculo magis perreptaret, quam decurreret. Et verò placuisse magnæ Dei Matricam animi pietatem, restituta præter spem sanitas argumento fuit. Subitò enim, civitatem coràm spectante, ita persanatus est, ut nullum superesset claudicantis signum. Quod inter ceteros spectavit, & hunc in modum subscribendo testatus est reverendus Dominus, *Andreas Kraievsky, tunc Capellanus Allensteinensis, nunc Parochus Collensis manu propria.*

XII. De

XII.

Duæ fœminæ Brunsbergenses, voto Lindam nuncupato, pedum aliorumque membrorum sanitatem receperunt.

Earum altera fuit Anna Lahmsche, altera Catharina Joannis Schultz, civis Brunsbergensis uxor. Illa non modò claudicavit, verùm & magnis aliis doloribus propè ad mortem, ut in commentariolo scriptum est, pressa, ubi votum ad B. V. Lindensem nuncupavit, tertio inde die omni morbo soluta fuit. Hæc verò pedum usu, præ morbi omnes artus pervadentis acerbitate, destituta, solidum annum lecto affixa decubuit. Posteaquam verò (uti maritus ejus ad IV. Id Julias, Anni MDCLIV. Lindæ coram est testatus) votum ad B. V. Lindensem concepit, statim convalescit, ita ut postero die, qui erat D. Thomæ Apostolo sacer, domo progredi, & ad sacram Ædem, citra ullius adminiculum, conferre se potuerit.

XIII.

Mulier diuturno genuum & ossium dolore liberata.

Anno MDCLIV. Nonis ipsis Julii, pedes Lindam, ex pago Rusch dicto, advenit præter suam multorumque spem mulier, quæ integras quindecim hebdomadas decubuerat. Ita enim dolor intimus genua atque ipsa occupârat ossa, ut iis præ nimio cruciatu etiam distentis ac propè distractis vix decumbendi

H h §

ac qui-

ac quiescendi facultas esset; tantùm aberat, ut liberet aut liceret, pedibus viam, præsertim longiorem, capessere. Licuit tamen, ubi ægra voto Lindam facto, repente convaluit.

XIV.

Ex appensis Lindæ fulcris, atque pedum anathematis claudorum æstimandæ sunt curationes.

Claudos hætenus memoratos, aliisvè pedum vitis gravatos, par erat lequi hoc loco omnes, qui vel fulcra atque sustentacula lignea, vel etjam fufos de argento, fictosvè de cera pedes appenderunt: verùm quia illorum nomina omnia clàm sunt; vel, si quorundam inscripta sunt nomina, ipsa tamen accepta divinitus beneficia ignorantur, ne à me quidem revelari poterunt: Qui tamen, vel lua duntaxat, nomina argento incidi curârunt, prætereundi hîc à me non sunt; ut, sive superstites, sive defuncti sint, tanto ipsi pro acceptis beneficiis se exhibeant gratiores, quantò ea minùs hîc memorari à me posse vident. Præter igitur argenteas pedum formas, quas sive Johannes Schwenck, de quo capite hoc actum est, sive alius ignotus hoc ipso quinto, supra quinquagesimum sæculi hujus annum, de quo sequente libro, obtulerunt, in oculos cùm primis incurrit pes dexteri paulò major, & ad unius fere cubiti magnitudinè de argento, ut videtur, solido fufus, cui hæc à tergo adjecta est inscriptio: Deo & Deipara; voti reus Matthias Zehrus Decanus Gueftadiensis 1641. 2. Junii. Minor ali-

quar-

quanto est, pes alius itidem dexter; cujus epigraphe est, *Catharina Thielheinni* 1646. Tertio itidem dextro literæ sequentes insculptæ; *G. T. R. B. V. S.* 1651. Similiter inter pedes sinistros, cuidam inscriptum, 1646. *Lorentz Reit.* Plures aliæ sunt pedum effigies, quæ nullam prorsus inscriptionem habent: hominum tamen, qui eas dedicârunt, nomina, quin melioribus Tabularii cælestis inscripta sint fastis, minimè dubito. Quod & de iis, qui tam multa pedum fulcra, sustentacula, & adminicula Lindæ appenderunt, censendum puto. Hæc enim, quod jam aliàs dictum, quò ad aspectum viliora sunt, eò manifestiora, quin & augustiora sunt beneficentiæ pietatisque divinæ monumenta.

C A P U T XXIV.

Claudis, etjam à catholica Ecclesia alienis, sanitas per B. V. Lindensem collata.

CUM cæteris plerumque sectariis, tum iis potissimum, quæ in Ducatu Prussiæ haud procul Lindâ, incolunt, occinendum est illud Eliæ Prophetæ (1) *V(quequo claudicatis in duas partes? Nam & miracula divæ Lindenensis, & fidei catholicæ veritatem negare plerique amplius non possunt; & tamen ut se ad catholicam Ecclesiam conferant, impelli nolunt. Sensim tamen, vel ipsis Deiparæ beneficiis eriguntur, ut sublatis corporum morbis, animi quoque morbis pedetentim levantur.*

I. Mu-

(1) 3. Reg. 18. 21.

I.

Mulier plures annos clauda, voto Lindam facto,
sanatur.

Incertum quot annis eo pedum vitio (quod Anno denique hujus seculi tertio supra quinquagesimum fuit divinitus curatum) mulier in Rastemburgensi municipio degens laboravit. Aliquot tamen annos laborasse commentarioli produnt Lindenses. Implorata haud dubie fuerunt, quæ poterant, auxilia consiliaque humana omnia; sed his ne quidquam adhiberis, faciliora ac promptiora fuerunt divina. Divæ enim Lindensis invocatione atque voto ex more concepto recreata primùm, ac roborata; deinde etiam probè persanata, ad IX. Calend. Julias votum & gratias Deiparæ, coràm Lindæ persolvit.

II.

Tumor, & inveterati pedum morbi curati.

Eodem Anno sub exitum mensis Maji, coràm eadem Lindæ voto defuncta est Helena Bartholomæi Bolowsky, ex oppido Lick, duodecim leucas à Linda sejuncto, inquilina uxor. Ad sævos pedum cruciatus tumor insuper diuturnus juxta ac enormis accessit. Inter alia remedia variè sæpiusque adhibita, etiam vota & donariola per alios Lindam missa. Sed cum neque ista prodesse, amicorum suavis, votum sistendi sese coràm Deiparæ, ac sacrum ejus Ædem ter geniculatim circumambundi con-

di concipit; & subito, ut votum nuncupavit, tumor omnis ira resedit, ut ne quidem vestigium superesset ullum.

III.

Clauda Lindæ sanitati restituta, fulcrum anathematis loco, ibidem suspendit.

Libertino cuidam provincie Elbingensis filia erat Barbara, alterum pedem clauda, ut illi, citra sustentaculi adminiculum, nulla incedendi facultas reliqua esset. Cæteris medicis in cassum remedia adhibentibus, ad homines quosdam Catholicos subsidii consiliiq; causâ accessit. Illi ad divam Lindenlem suadent recurrendum. Paruit illa, seque Lindam curru deportari, ac viro Catholico duce, ter circum Aram majorem geniculatim duci curavit. Eodem loco ac momento, sanitate redditâ, alacris surrexit, & fulcrum, quo hæctenus nixa, etjamque sacellum ingressa fuerat, nulli deinceps sibi futurum ului, perpetuum sanitatis monumentum ibidem suspendit Anno MDCLIV. ad IV. Calend. Julias.

IV.

Mulier, à fide catholica aliena, B.V. Lindensem in curando pede minimè alienam experta.

Interburgum, opulenta ac populosa in Ducatu Prussie civitas, Polonis vulgò *Instrucie* dicta, leucis circiter, vicinis Lindæ abest. Inter pagos ad ejus civitatis

tatis pomæria spectantes, quidam est iuribus & dominio Dominorum Dœnhoffiorum obnoxius; in quo Anastasia mulier, Joannis Szymanowicz uxor degēbat, alterum pedem clauda, ut surgere è strato nullamquam posset. Integros tres annos ita lecto affixam Deipara tandem relaxavit. Apparuit quippe dormienti, matronæ cujusdam specie, & si levamen sanitatemque consequi porrò vellet, Lindam curationis causâ ut adiret, commonefecit. Paruit monitis afflictâ dudum mulier, & simul ac somno est soluta, voto se de itinere Lindam suscipiendo obstrinxit; eademque horâ, quia se omni morbo levatam advertit, lecto se proripuit, & citra offendiculum aut dolorem quaquaversum, prout libuit, perambulare cepit. Neque porrò iter Lindense ingredi distulit: Ad VIII. Cal. Aug. Anno MDCLII. Lindæ coram adfuit & sacellum genicularim ter obivit; gratias, quas potuit, DEO, juxta ac Deiparæ, supplex ac venerabunda egit. Quod ut cumulatus faceret, mulier alioqui non omnino pauper, viam, pro multorum more, non nisi emendicato pane absolvit.

CAPUT XXV.

Podagrici ope Deiparæ Lindensis adjuti.

APologus, quem veteres de podagra & aranea simul peregrinantibus argute finxere, hodie quoque sibi videtur utcunque constare. Ut enim fortasse aranea, non nisi ad pauperes fere divertat, certè podagra, quemadmodum Mors; canente Poëta, *equi pulsat pede, pauperum tabernas, regumque turres.* Sed nos hic

hic podagram pauperum tabernis exclusam mitramus, ut simul eandem regum magnatumque turribus, Deiparæ Lindensis ope exclusam contemplerur.

I.

Illustrissimus magni Ducatus Lituaniæ Cancellarius, magnum se à Deipara Lindensi levamen in podagra experiri testatur.

Nondū satis maturo Anni MDCLIV. vere, appulit Resselium novus Collegii Rector, P. Petrus Steffanowicz & unà secum geminos ex argento pedes affabre elaboratos, Deiparæ Lindensi attulit dicandos. Missi fuerant à Magno magni Ducatus Lituaniæ Cancellario, S.R.I. Principe, in Olyka & Nielwicz Duce, Alberto Stanislao Radivilo; qui frequenter è Lituania in Prussiam ultro citroque commeando, nullam revisendæ B. Virginis Lindensis occasionem nactus fuerat; quoad denique Anno MDCLIII. Tucholiâ in Lituaniam redux, Lindam versùs iter studio flexit Resselio; ut Deiparæ Virgini (quam & plerisque libris, tanto Principe haud indignis, jam aliàs ab se editis, & pluribus virtutum suarum exemplis, longè lateque celebrârat) pro suo, aliorumque more, supplex apud Lindam coràm fieret. Gratum fuit Deiparæ id clientis sui officium, sive enim ille supplex ab illa poposcerit, sive etiam illa ultro clienti suo largita id fuerit, podagra certè & qui ex ea dolores ac cruciatus, pertinaces juxta ac vehementes, distringere ac distinere pedes tolerant, magnoperè eo anno remisère. Quod ille, cum advertisset, non potuit committere, quia

quia

quin tantæ Patronæ ac solpitræ aliquod grati animi monumentum submitteret. Misit proinde jam memoratas pedum effigies. Quas quidem, quemadmodum & dicta virtutum exempla, quotquot in tanto Principe fuerint contemplati, nunquam se à terra rebusq; terrenis promovere, & progredi ad cælestia desistent.

II.

Illusterrimus Episcopus Varmiensis, singulare apud Lindam Marianam podagræ levamen, sæpius expertus.

Quo cultu Lindam Marianam prosequatur, quo item propagandi ejusdem cultus Mariani studio feratur, Illustrissimus Wenceslaus Comes de Lešno Episcopus Varmiensis, jam aliàs (a) spectari potuit. Mirum quocirca videri non debet, si ipsa vicissim Doloripara Lindensis, tam studiosum sui clientem pari, quin longè etiam majore prosequatur studio; & cum cæteras in eo animi corporisque dotes foveat atque augeat, tum etiam inolitos cum tempore morbos, atque penitus levet, aut majorem in modum leniat. Constat, quibus ille chiragræ ac podagræ doloribus interdum affligatur; par est, ut constet, quibus ille præterea diis contra eosdem armeretur. Quanquam enim, apud Badenses in Austria thermas, quas iterum neque iterum revisit, non minimum expertus sit dolorum illorum levamen, non tamen minùs se à Lindæ Marianæ umbra fatetur reperisse medicinæ. Haud ita longo temporis intervallo accidit, ut Elbingæ (quæ inter primas Regni Prusici

(a) lib. 4. cap. 6.

Prussiz urbes numeratur) Divæ Lindensis, miror-
 tumque apud ejus Lindam Dei beneficiorum men-
 tio incidere; cum non nemo civium, cætera quidem
 haud ignavus negotiator, verum fæda Mennonistica
 sectæ lue (quæ à Batavis in Prussiã prorepsit) misere
 corruptus, pro more & salibus scilicet istiusmodi
 sectarum trosculis in saliva natantibus, intercessit,
 & ecquid podagra, inquit, quâ Varmiensis Episco-
 pus identidem laborat, apud Lindam curatur? Quod
 ubi Illustrissimus Antistes auditione accepit, præ-
 sente viro, è Ducatu Prussiz, eximie illustri, enim-
 vero, curatus, inquit, est, & adhuc curatur! tum ad
 eum, cui historiz Lindensis cura non minima in-
 cumbebat, Eja Pater, inquit, vide, sis, ut & hæc ad
 Dei Deiparæque gloriam literis mandentur.

Atque hæc tum, pro Deiparæ honore magnus Anti-
 stes, neque minora pro sui clientis incolumitate, eo-
 dem fere tempore, cælestis Patrona. Cum enim ille
 pro singulari, qua plurimum excellit, prudentiã, uti
 cæteris in rebus, ita in curanda quoque valetudine,
 divinis humana jungeret præsidia, Badenasque ite-
 rum destinasset iter suscipere; non potuit à recepto
 sibi more recedere, & ante divinum, per Divam
 Lindensem, auxilium non implorare. Aspera erat
 hyemis Anni MDCLIII. tempestas, sed mense Fe-
 bruario omnium asperissima; nihilo minus ipse eo-
 dem ipso tempore, atque sub ipsum Februarii initium,
 Lindam perrexit; ut, profestâ Purificatæ Virginis
 luce, coram adesse, & si per valetudinem liceret, et-
 jam ad Aram facere posset. Et adfuit ille quidem; sed
 quia pedibus ne quidem insistere posset, succollan-

tium baculorum manibus intra sacellum deportatus, ubi, dum inter alia beneficiorum divinorum monumenta, ad majorē Aram suspensa et jam memorator magni Ducatus Lituaniæ Cancellarii intuitus pedes eos ob singulare à Deiparæ in podagricis cruciatibus levamen dedicatos esse didicisset; ductis ab imo pectore suspiriis. Ego verò, inquit, si in simili posturus necessitate, per Deiparam fuero adjutus, non aigenteos duntaxat, verùm & aureos eidem pedes dedicavero. Poterant, hæc subito quodam animi impetu, alicui videri dicta; at subitum, & eo loci vix agnitum, tamen præsens Deiparæ auxilium, probavit, diviniore quodam instinctu fuisse dicta. Ab eo quippe temporis momento (quanquam ipse in se non respiceret, atque animo per piam meditationem aliter forrasse àvocato, quid obtinuisset, necdum sentiret vires animi corporisq; ita auctæ sunt, ut continuo nimis ac desiderium subierit, sacris in asperrimo illo, & podagricis, chitagricisq; doloribus plurimum adverso frigore operandi. Nō deerant, qui quodammodo comperendinandum, & id genus officii digni, in aliud tempus suaderent differendum. Verum major erat ille animi impetus, qui etiam corporis vires haud dubiè intendebat, quàm ut ullius oratione posset. Quocirca is, qui vix momentis aliquot elapsis, consistere ac niti suis pedibus haud poterat, suis se viribus erigit, ad aram progreditur, longè supra dimidiam horam, in ea, quam diximus, frigoris pertinacia facit: tum iterato in preces, gratiasq; pro more agendas effusus, quanquam suatumque tibi virium necdum subiret animo conscientia, iterum

se non
cellum,
dimen
ditur; o
tium sua
& citra
is intra
sus spati
Avincap
eenus att
neralem
chowic
hoc, inq
confister
ram tan
perambu
tui huc d
que mei
locum ci
et jam n
gredi. N
denis b
censeret
colis dur
suis usun
za laude
(quod f
naufra
emptum
rasset cr

(2) li

se non modò sponte suâ erigit in pedes, verùm & sacellum, quâ oculis quâ et jâ pedibus quaqua versum dimensus, pedibus quoq; suis ad currû usq; progreditur, quin & Resselium delatus, necdum tamen vicium suarum sibi conscius, de curru ultro descendit, & citra ullum bajulorum adminiculum pedibus suis intra Societatis Collegium aliquot jugerû emensus spatiû, ubi intra triclinium obambulare plusquam incipit, quasi ad se primùm reversus, & quadantenus attonito similis, ad præsentem Vicarium generalem, Reverendissimum Dom. Albertum Pilchowicz (qui unâ Divâ Lindensem visitarat) Quid hoc, inquit, rerum est! Ego Lindam cum pergerem, consistere pedibus non potui; at potui Lindæ ad Aram tanto tempore faciendo stare, potui sacellum perambulare, potui ad currum usque perreptare, potui huc delatus non modò de curru, pedibus, viribus quæ meis descendere, sed & tot passus ad hunc usque locum citra difficultatem emetiri, possum denique et jamnum stare, inambulare, & quaqua versum progredi. Nunquid hæc manifesta sunt Deiparæ Lindenensis beneficia? Nemo omnium erat, qui id ipsum censeret; quippe qui beneficii magnitudinem, non oculis duntaxat, verum & manibus sibi viderentur suis usurpare Dabant proinde omnes Deo & Deiparæ laudem, quæ Antistitem suum paucos ante annos (quod suo loco (a) videbimus) maris & præsentis naufragii, nunc verò tantis hiemis frigorisquæ exemptum periculis, et jam gravissimis podagræ liberasset cruciatibus. Iam verò ipsemet Antistes multò

II a

ascu-

(a) lib. 4. cap. 31. §. 1.

accuratius, tum hujus tum aliorum Deipar Lind. be-
neficioꝝ magnitudinem, apud animum suum trui-
nat; ac, si per belli temporumq; iniquitatem liceret
brevi oculis omnium, gratissimi in B. V. Linden sen-
animi objiceret monumentum.

III

Hæreticus quoque verbi Minister, per Deipa-
ram Lindensem à podagra curatus.

Severum Imperatorem ex podagra claudicante
atq; idcirco, velut imperio à quibusdam indigno
habitum, Xiphilinus & Dio ferunt, illos sui con-
temptores in jus vocasse, & capitali sententia percus-
sisse. Qui delicti veniam, cum à Cæsare peterent, au-
diverunt, nullam ipsis eâ sententiâ factam injuriarum
ex qua discerent, atque adeo jam sentirent non pe-
des sed caput in homines sceleratos jus dicere atque
imperare. Neque Cæsar, neque Imperator erat,
pago Alt-Tolcksdorff, Lindâ haud longè distan-
verbi, ut vocant, Minister sectarius: Severum
men fuisse, vel supercilium, quod istius generis ho-
mines, plus quàm Basilicum sibi sumunt, abunde
probat. Neque claudicatio Severi Imperatoris
astro isti severo, quam ex podagra contraxerat, de-
se potuit, quanquam major insuper animi claudicatio
qua & à Catholica Christi Ecclesia, & à salute ex-
errabat sua non defuit. Sed de hac, minus, ut fieri
solet, sollicito homini, prioris illius curandæ sollici-
tudinem omnem podagrici dolores intenderunt. Quod
nō egit rabula hæreticus? quo se auxilii causâ nō ve-
tit? Ad extremū compulsus est, apud Lindam Minis-
nam implorare opē. Quò cum venisset, & quantū

vis immeritus atq; indignus, opem nihilominus de consueta Deiparæ benignitate invenisset, adeoque eo ipso in loco podagræ cruciatibus liberatus esset, stupenti similis (quemadmodum magnus ille Vir, quem honoris causâ toties appellamus Otto à Græben auritus testis, & ex illo P. Simon Hein in commentariolo retulit) patriâ linguâ exclamavit: *Vetè locus iste sanctus est! Credidisses, aliquem Jacobum Patriarcham audire te differentem, atque illud (a) Patriarchæ Jacobi usurpantem: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam! non est hîc aliud, nisi domus Dei & porta cali: sed Ministris, uti solenne est uxoris querendæ causâ, vel in Mesopotamiam Syriæ cum Jacobo peregrinari, ita intolerans omnino est, scalâ ad calos usq; pertingentē, ascendentesq; & descendentes per eam Angelos cernere, ne dicam comitari.*

C A P V T XXVI.

Mani, & brachiorum, manuumvè morbis affecti, opem B. Virginis Lindenensis consecuti.

Manibus pedibusque in sententiam ire, fuit optimo proverbio, inter veterum judicia locus; sit & nunc inter collecta magnæ Dei Matris præconia. Cujus in mortalium pedes beneficia sanitatum, cum paulò ante retulerimus, jam ad manus, earumq; curationem accedendum nobis est.

I.

Diurnus brachii dolor, ope B. V. Lindenensis, votoq; ad eam concepto, depulsus.

Calendis Junii, Anni MDCXXXVIII. ut Deo

II 3

ac

(a) Gen. 28.16.

ac Deiparæ gratias, quas debebat, ageret Michael Gerich è Seiberswald municipii Seeburgensis pagus aditus ac padotriba, Lindam venit. Longo ac per molesto brachii cruciatu, ut ipsemet conscientia sua arbitro palam explicuit, districtus erat; cum interea uxor mariti vices cruciatuque miserata, ut Peregrinationis ad Divam Lindensem votum nuncupet, enixè consulit. Audit ille, & supra peregrinationem, tum peccatorum suorum exomologatum sacri epuli synaxin, in sacra Lindæ æde vota. Necdum tertius à voto nuncupato abierat dies, cum omni dolore ac morbo solutus, Lindam sine cunctatione adiit, & gratias semel actis, semper agendas, quin & referendas, quoad quidem posset, adjecit promissâ nimirum annuâ, quoad vita suppeteret ad Deiparam Lindensem peregrinatione, & Sacramentorum pœnitentiæ atque Eucharistiæ usurpatione.

II.

Brachium periculosè luxatum, voto ad B. V. Lindensem facto, restitutum.

Eodem Anno atque mense, 3. Calend. Jul. votum Lindæ solvit, grata erga Deiparam. Iohannis Lebenstini uxor. Luxaverat illa casu, incertum quo, brachium; unde ad ingentes cruciatu tumor accessit propè enormis. Quamvis autem brachium ita luxatum, quaternis jam vicibus, fuisset loco restitutum, tamen pristina atque usque brachij restitutus non est. Simul ac votum mulierum

Divæ Lindenſi ritè nuncupavit, ſimul dolor atque tumor in veteratus abiit, nec non uſus brachii ad munia quæque ritè obeunda integrè rediit.

III.

Alter brachii, pedum alter uſum, Deiparæ ope recuperârunt.

Duo è Meſſaccenſi municipio homines, ad xv. Cal. Jul. Anni MDCXXXIX. voti reddendi cauſâ Lindam advenerunt Brachium alter, alter pedes miſerum in modum habebat affectos. Perrentata ſunt, quæ uſquam reperiri poterant, tantorum remedia malorum, ſed nulla prorsum reperta, quemadmodum ipſimet ſunt palàm faſſi. Quò gratioribus etjam animis faſſi ſunt B. V. Lindenſi ſanitatem (quam aliunde ſperare quidem poterant, obtinere vero nullo poterant modo) in acceptis eſſe referendam.

IV.

Nobilis è Maſoviâ matrona, ob reſtitutam ſibi manum, argenteum manus ſimulacrum

B. Virgini Lindenſi offert.

Tot ſunt hujus rei teſtes oculari, quot publicæ ſupplicationi è Maſovia ad B. V. Lind. Anno MDCXLI. inſtitutz, & ad duodeviginti circiter leucas, ſolenni pompâ & eximiâ pietate Lindam uſq; deductæ præſentes adfuerunt. Adfuit enim inter alios, matrona

li 4

nobilis

nobilis Sophia Borska, quæ in obtentæ per Divam Lindensem sanitatis, Tesseram, argenteum restituit sibi manus simulacrum, eidem supplicare offerbat. Qua de re, cum ipsius ac totius dictæ supplicacionis turmæ Dux & Curio, scriptum reliquerit testimonium, operæ precium est, id ipsum ad posterorum memoriam Deiparæque laudem, hoc loco recensere. Sic autem Latinè è Polonico idiomate reddi potest.

Anno Domini, millesimo sexcentesimo, quadragesimo primo, die prima Iulii, Nobili Domina Sophia Borska, solennem, quam ad sacrum Lindæ locum duxi, comitata supplicationem recognovit, quod & ego, Anno & die supra dictis ipsemet oculis meis usurpavi; nimirum, quod ope & interventu sacratissima Virginis hoc ipso in loco, sanitati restituta fuerit. Cujus rei comprobanda causâ, eodem in loco manum argenteam reliquit. Ejusdem rei attestimonium testis est, Pater Stanislaus Glinicki Decanus. R. P. Parochus Chor. mp.

V.

Mulier aliquot annos manca, voto Lindam facto, convalescit.

Anno MDCXLIII. ad XIV. Calendas Decemb. (quemadmodum in commentariolo P. Stephanus Reich scribit) adfuit Lindæ Matrōna, ex pago Eschenau districtus Meelsaccensis; qua aliquot annos unâ manca, voto facto convaluit. Grata pro beneficio accepto, pedes Divam Virginem Lindensem invisit.

VI.

VI.

Manus falce admodum periculosè sauciata, Deiparæ Lindenensis auxilio perfanata.

Anno MDCXLIV. ad III. Nonas Iunias, voto perfunctus est, quod Lindam nuncuparat Andreas Linck, civis, ni fallor, Gurtstadiensis. Graviter ille falcem in alteram manuum impegerat, ut & venæ, & nervi succiderentur. Nihil videbarur propius abesse, quàm ne omnino redderetur mancus; præsertim, cum remedia variè multumque adhibita, prodesse neutiquam possent. Vnicum restabat, quod fortasse è Divi Joannis Damasceni historia mentem subite potuit, remedium; nempe ut, quemadmodum ille præsectam à crudelissimo Tyranno manum, Imagini Virginis Deiparæ exhibuit, & continuò integerrimè sibi restitutam recepit; ita & ipse suam protenderet ad Deiparam ejusvè aliquam iconem, undique desperatam manum. Protendit igitur; & quidem non alio quam ad Marianam ipsius Lindam; apud quam se, & supplicem & gratum fore spononit. Accepit Deipara clientis sui preces atque votum; & ille continuò manum ope Deiparæ probe perfanatam recepit.

VII.

Manus & pedes gravi tumore ac pustulis affecti, voto Lindam nuncupato perfanatur.

Non mihi constat, hæretica an catholica fuerit mulier, quæ id beneficii obtinuit; quocirca rem iisdem

Li 5

dem

dem planè verbis, quibus à P. Petro Althoff est in
commentariolum relata, hìc percensebo. Catharini
Iacobi Munk ex Moltzich filia, intumuerant manus pedes-
que, ad genua usque, pustulis rubris & desuper albicantibus,
magno cum dolore. Varia adhibita remedia, etiam supersti-
tiosa: nihil effectum. Devota ab aliis Lindam, ut cereu ac-
censister Altare, ter Ecclesiam obiret, statim pustula decidere
& vulnera sanari ceperunt; ita ut tertio die perfecte sanata
fuerit. Votum explevit, & rem factam enarravit 27. Au-
gustii 1654.

VIII.

Faber annum integrum mancus, usum manus
à B. V. Lindensi impetrat.

Quod jam memoro, ipsemet Anno MDC LIV. ad
VI. Cal. Sept. ex ejus, qui beneficium impetravit,
sermone didici. Bartholomæus Ritting is erat. faber
clavicularius Meelsaccensis. Is publicam à tota civi-
tate Meelsaccensi supplicationem, cujus postmodum
erit mentio facienda, egregiè adornatam comitatus,
ut & suo & civitatis totius nomine gratias ageret,
Lindam accesserat. Præterquam enim, quod cum cæ-
teris omnibus præsentè incendio fuerat ereptus, pri-
vatum insuper à Deipara Lindensi beneficium acce-
perat, sive nervorum oppilatione, sive alia ex causa
id evenerit, sanè haud constat; constabat tamen om-
nibus, eum anno integro manus alterius officiis
defungi non potuisse; tantum abest, ut ad operis opi-
ficiique sui usum potuerit eandem adhibere. Quid
non tentavit quid non adhibuit unguentorum, & a-
liorum undiq; subsidiorum? Ne carnificum quidem
qua

quæ ab unguentis ex adipe humano confectis percuntur, neglecta sunt auxilia Rebus undique desperatis, auxilium, voto Lindam nuncupato, à Deipara postulavit; & quemadmodum tum suscepta illa peregrinatione tum appenso Lindæ insigni monumento professus est, facile invenit.

IX.

Civi Meelfaccensi dextra manus perfanata.

Inter Anathemata Lindæ ad Aram majorem pendencia, est manus dextra, ipsa sui magnitudine præ ceteris spectanda; cui inscriptum; *Sancta Maria Mater Iesu, ora pro nobis. Ioannes Hanman 1650.* Tacitè indicat enorme ac periculosum vulnus, quod idem Ioannes Hanman, inter Meelfaccenses genere, industriâ, opibusq; facile primus, sibi infixit. Paucis abhinc annis gratum domi suæ hospitem nactus inter alia grati hilarisq; animi signa edita (sponte, an casu, mihi incertum) in vitreum poculû impexit vehementius manum ut vitrum non modò se per volam manus penetraret, verùm & nervos succideret. Difficillima erat periculosi vulneris curatio, nisi implorata Deipara Lindenensis, quod anathema testatur, faciliorem reddidisset.

X.

Hæretica quoq; mulier, manuum pedumque doloribus per B. V. Lindensem levata.

Sub idem fere tempus è Sorquiten, pago sub Prædicantû jugo adhuc gemente, præstò fuit mulier Eva nomine, Martini agricolæ conjux. Hæc graves manuum pedumq; morbos experta, si iis Deiparæ Lindæ ad quam se receperat, ope levaretur, vovit & manuum, & pe-

& pedum cereas Lindam effigies, perceptæ sanitatis monumenta ab se deferenda, suæque sospitatrici dicanda; ad hoc vovit & ceream candelam, quam accensam manibus præferret, dum Aram majorem ter geniculatim obitura de more esset. Neque secus fecit, simul ac voto edito pristinam à Diva Lindensi recepit sanitatem.

XI.

Alia itidem hæretica mulier, manus pedesque sanata, quotannis Lindam invisit.

Anno MDCLIV. pridie Idus Augusti, Dorothea Martini Træger ferrarii fabri in Babeins pago, sequi leucam Lindâ circiter dissito uxor, præter morem hæreticorum, Restelii in conventu Virginum candelam & fictos è cera pedes manusque sibi emit. Dum inde abit, obviam habet quendam è Soc. Iesu sacerdotem, qui cum à fide Ecclesiæque catholice non nesciret alienam, interrogat, quem tandem in finem præter candelam, cereas illas manuum pedumque Icones sibi comparasset? Biennium, inquit illa, jam præterit, cum quatuordecim hebdomadas manuum juxta ac pedum amiseram usum. morbo ita utrobique sæviente, ut ne commoveri quidem aut manus possent aut pedes. Ego verò cum subsidium malis reperire nusquam potuissem, Lindam me, voto factò, recepi, & continuo integram recepi sanitatem. Quæ causa est, ut quoad vita fuerit superstes, nunquam adeundæ quovis anno Lindæ, agendarumque gratiarum occasionem intermittam.

CA.

C A P V T XXVII.

Ulcera, vulnera, Herniæ, & apoſtemata Divæ Lindenſis auxilio curata.

Multa ſimul expedienda hîc ſunt; non tam, quòd ea vel ad ſpeciem cognata ſibi ſint, quàm, quod rem admodum vaſtam, in pauca contrahere ſit neceſſe.

I.

Nobilis vir brachium ſclopo periculoſè traje-
ctus, Divæ Lindenſis ope periculum
evadit.

Antonio Duczymiński, ex illuſtri Duczyminio-
rum in Maſovia genere, nomen erat, & pares gene-
ri, tum ab hereditate, tum à Regia liberalitate fun-
di atque prædia. Tantæ fortunæ, valetudo haud re-
ſpondebat, brachio plumbeâ glande trajecto, ma-
gnopere labefactata. Periculum, quod etjam vitæ
imminebat, vix evaſiſſet, niſi Lindam factò peregri-
nationis voto, confugiſſet, inde certum juxta ac ſu-
bitum lethali jam vulnere auxilium. Ille verò jam
proè ſanus, Anno MDCXLIV. ad VI. Cal. April.
Lindam venit, & voto ſolutus eſt.

II.

Mulier fædo & incurabili apoſtemate laborans,
Lindam per ſomnum monita inviſit,
& ſanatur.

Branſcium ſive Branſkum civitas eſt, in ea Regni
Poloniæ provincia, quam Podlachiam vocant, me-
moranda

memoranda inter primas, quadraginta propè leticia à Linda Mariana sejuncta. Degebat inter cives Stephanus; cuius uxor pedem sædò apostemate habebat graviter affectum, cui siue curando, siue potius dolori utcunque leniendo, suasu consilioquè amicorum, arboris tiliæ folia admovebat, nihil interim de vera Deiparæ Tilia, seu Linda Mariana, ab ullo mortali-um edocta; cuius ne quidem nomen fando unquam audierat. Verùm illa Tiliæ folia, vulneri admota, tantùm abest, ut profuerint, ut etiam vulnus indies latius inde patefceret, & caro sædum in modum putresceret. Sollicita quocirca de tanto periculo mulie-ri, ac de remedio propè desperanti, spectandâ se per somnum offert Marrona gravis, formâ & vultu, quàm mortalium conditio ferat, plurimum augustiore: & tu verò, inquit, folia tiliæ ita vulneri appone, ut te potius ad ipsum Tiliæ templum conferas. Ex-perfecta amicis somnium enarrat, & quod tandem, aut, ubi illud tiliæ sit templum, interrogat? Aderant nonnulli, qui siue sacram, siue, qualis quotannis messe instante fit, profanam in Prussia peregrinatio-nem aliquando obierant, & de Linda Mariana (qua Polonis sacra tilia vulgò dicitur) partim auditione, partim experienciâ ipsâ teste plurima didicerant, quæquè didicissent, coram disertis verbis explica-bant. Mulier ad eam narrationem, sacro quasi cæstro permota, visendæ quàm primum Lindæ Marianæ vorum nuncupat; & uti monita in somnis erat, Ti-liæ folia vulneri, majore quàm unquam fiduciâ ap-plicat. Continuo vulnus per sese coire, & sanari; adeoque cicatrice obduci: ut paullo post, tam lon-
gum

gum iter, comitante ultro marito, non sit verita ingredi sanitate in horas augefcente, & cum ad ipsum Lindæ facellum venisset, omnino perfectâ. Quæ omnia, quemadmodum retulimus, tum ipsa mulier, tum ejus maritus, sanctè juxta ac constanter testati sunt, evenisse Calendis Junii Anni MDCLI.

III.

Fædum & incurabile ulcus, in peregrinatione ex voto Lindam suscepta, apertum & curatum.

Sub eadem fere tempora, ex eadem Podlachia seu Subsilvania provincia, adfuit Sophia Virgo Matthæi Armentowski filia, & voto, quo se Divæ Lindensi obstrinxerat, soluta est. Vt se porrò obstringeret ac peregrinationem tam longinquam suscipere, ulcus insanabile adegit. Faciem illud, os inter & nares infederat, & ad justû pruni, ut vocant, Hungarici, magnitudinem excreverat, non minorem spectantibus horrorem, quam pudorem Virgini doloremq; incutiens. Medicorum aliquot industriam laboremq; omnè malû illud lassaverat atq; eluserat; à quibus medicamentorû plurimum, sanitatis nihil afferri potuit; cum neq; corrosivis ut vocant, rumpi neq; emollientibus ad profundendam saniæ aperiri posset; dolorq; adeo in momenta intenderetur, ut & aures & caput Virginis prorsum occuparet. Vnicû cælestis Reginæ, ad cujus Lindâ, suo aliorumq; consilio peregrinatione voverat, salutare fuit præsidium. Vix enim promissa aggressa erat peregrinatione, atq; iter ingressa,

cum

cum ultro ruptum est ulcus & sanie ubertim profusa, sensim curatum, quemadmodum præter ceteros, qui tum Lindæ aderant, spectavit, & quæ hic recensuimus, coram audivit admodum R. D. Mattheus Behm Collegiæ Gutsyadiensis Ecclesiæ Canonicus & Decanus.

IV.

Voto Lindensi Deiparæ facto, fistula pedis sanata.

Quod Lucillus Synicensis Ecclesiæ in Africa Episcopus, teste S. Augustino (a) consecutus est beneficium, dum gloriosi Protomartyris Stephani sacra gestaret Lipsana; idem consecuta est, nuncupato Lindam voto, Catharina Virgo, in Schœnwald, Allensteinensis Colonia, Paraciz quæ Klebergenis pago, Ambrosii coloni filia. Illi *fistula*, ut ait S. Augustinus, *cujus molestiâ jam diu laboraverat, & familiarissimi medici qui eam secaret, opperiebatur manus, illius piæ sarcinæ vestitione repente sanata est*: huic itidem fistula, in suscepto de Lindensi peregrinatione voto est sanata, quæ sicut pedem totumque corpus non molestiâ dunctaxat, verum & dolore ac periculo ingenti afficiebat, ita curari nullâ mortalium ope posse videbatur, quemadmodum Catharina tum admodum Reverendo Dom. Parocho, tum R. P. Rectori Resseliensi; qui rem hanc literis brevissimè consignavit, coram facta est, 2. Julii 1652.

(a) 22. civit. 8.

V.

Puer ab Hernia liberatus.

Anno MDCLIII ad xv. Calend. Julias, annuam, pro more peregrinationem Martinus Kraus expedivit. Pro more, inquam, suo; quia inde jam à puero, quorannis eam proſequitur, tum voto matris ſuæ, tum Deiparæ Virginis beneficio æternum obſtitit. Biſteini is natus, & paulò poſt diuæ Lindenſis à matre devotus erat. Devovendi cauſam matri, hernia parvuli filii dedit: niſi enim malo filii, initio ſtatim occuſſet, actum de filii valetudine in omnem vitam erat. Quí autem, malo remedia humana omnia ſuperante occurreret? Ad eam ſibi ſcilicet recurrendum cenſuit, quæ ſupplicibus neque ſolet, neque fere poteſt quidquam negare. Divæ quapropter Lindenſi filium offert, & quoad vixerit, Lindenſe quorannis lactarium ſpondet piè aditurum. Maternæ deprecationis finis, initium partæ filio ſalutis fuit. Ab eo tempore, Martinus nunquam eo morbo tentatus; nunquam ſervatrici ſuæ gratias agere, & Lindenſem peregrinationem frequentare deſtitit.

CAPUT XXVIII.

Hydrops, aut pravus membrorum tumor per Deiparam Lindenſem curatus.

Vulneribus ulceribusque tumorem ſubnectimus, & tumori conjungimus Hydropem; quia cum tumor vel in illa tandem erumpat, vel in hunc deſinat, utriſque agnatus quodammodo affinisque eſt.

Kk

I. Hy.

I.

Hydrops à fœmina depulsus.

Anno MD CXXXIX. ad VI. Id Sept. mulier quædam
 Resselium venit; postridie, voti solvendi causâ, Lin-
 dam perrectura, & ibidem sacro Eucharistiæ epulo
 reficienda. Voti causam agebat hydropem fuisse, quo
 diffusus toto corpore tumor, omnem manus pede-
 vè movendi facultatem ademerat. Commovit ea
 membrorum quies mulierem, ut animo se erigeret,
 & præsidium humano melius certiusque à diva Lin-
 densi precaretur. Ea verò deprecatio supplicis, com-
 movit etiam Dñi Matrem; subito enim à nuncupato
 peregrinationis Lindensis voto, sanitati accedenti
 tumor & morbus omnis cessit. Ut porro etiam ab
 animo, si quid resideret morbi, cederet, sacrosanctis
 penitentia & eucharistiæ sacramentis, tanquam cer-
 tissimis contra animi morbos antidotis, uti frui apud
 B. V. Lindensem destinavit.

II.

Hydropicus ope Deiparæ Lindensis curatus.

Augustino Welck homini nomen erat, qui in
 Komeien Vormditensis coloniz pagò, agricultura
 operam, pro sua conditione, navabat. Navo cetero
 quin operario, ab hydropè ignavia se insinuavit, au-
 potius infudit. Quo enim de immani tumore acci-
 debat corpori plus molis ac magnitudinis, eo plus
 decebat virium, ut neque exercendo operi, neque

trahendæ quoque animæ, satis esset idoneus. Sed brevi idoneum Deipara Lindensis fecit; ad quam voto singulari cum se recepisset, ab hydropisi confestim liberatus, Anno MDCLIII. ad IV. Non. Junias, usum Virgini, votum redderet, Lindam venit.

III.

Puella trimula ab hydrope liberata.

Anno MDCLII. ad IX. Calend. Jun. Catholica mulier, ex hæretica in Ducatu Prussia civitate Neidemburgo, tridui, ut paulò antè memoravimus, itinere Lindâ abjuncto, trimulam circiter filiulam, voti unâ secum ream, Deiparæ stitit. Ludibunda, pro illius ætatis innocentia, atque innoxia libertate, tum puella, cursu & saltu Deiparæ sacellum pervolitabat, quæ paucas ante hebdomadas movere se loco non poterat. Dirus hydrops corpusculum totum ita occuparat, ut non modò in minoris vasis, tonnulam vulgò appellant, molem excreverit, verùm & totum, quemadmodum mater ajebat, transparere videretur. Consumptis nequidquam variis tum ex apotheca, tum aliunde petitis medicamentis, sollicita, & pro materna pietate, nimis anxia parens, quartâ vel quintâ majoris hebdomadæ feriâ, depositam & ab omnibus jam deploratam filiulam, Deiparæ Lindensi devoveret. Tantum voti à matre concepti, apud Matrem misericordiæ pondus fuit, ut ipso Dominicæ Resurrectionis die, quod mater etiam interpositâ sacramenti inde asseruit, sana & profum incolumis surrexit.

Kk 2

IV. Alia

IV.

Alia talem puella ab hydropo curata.

Sub idem circiter tempus, Walpurgis hottulani cujusdam è Mikohlen Seeburgensis municipii pago filiola, depulso per divam Lindenlem hydropo sanata est. Duas minimum hebdomadas malum toto corpore diffusum tenuit; tenuissetque etiam prolixius, nisi parentum voto ad Divam interposito, confestim fuisset depulsum.

V.

Nobilis vir discusso per B. V. hydropo sanatus.

Anno MDCLII. iplo Deiparæ Elisabetham reventis die, multa inter hominum millia, quæ eo die quotannis confluere potissimum solent, aderat Lindenæ generosus D. Adamus Zalusky, è Nedzwiedziensi Paræcia, in Masovia sita, tridui minimum itineris à Mariana Linda distante. Non ipsum modò, verum & plures de domestica familia, minimè familiare malum hydrops invaserat; adeoque tam filiam tumorem jam extinxerat. Ne porro & ipse, quem ad valis cerevisiarii (tonnam vulgò appellant) magnitudinem immanis humor distenderat, extingueretur consanguinei cæteri que amici intercesserunt; votum scilicet ad divam Lindenlem interposito. Ab eo voto revalescere mox æger cepit, brevi que ita curavaleuit, ut & viæ se tam longæ dare non dubitaret.

ipſius Anna, magno omnium artuum cruciatu jam diu afflictâ, nuperrimè verò et jam colli graviter intumelcentis, quin & in ulcera fœdè exuberantis, vulneribus adaçta, nulquam niſi apud Deiparam Lindensem, præſidii locum invenerit. Majo quocirca mente exeunte votum Lindam adeundi fecit, & continuò mali vis omnis remittere cepit. Cæterùm, cum ipſa præ virium languore, qui morbum gravem excepit, ne dum auderet, aut fortasſe marito vetante, non poſſet tam citò ſeſe itineri committere, maritus interea, ne quid mora officeret, ejus loco iter ſulepit, & votum perſolvit.

VIII.

Cervix propè fracta, per B. V. reſtituta.

Laurentius Wapp, è Wererkaim hæretico pago, vir catholicus, incertum, qua cauſâ, ſub ipſas D. Jacobi ferias Anni M D C L I I I. non potuit, tumorem juxta ac dolorem colli vehementem, non experiri; quando cervix ita inclinata ac propè fracta erat, ut caput antroſum propenderet totum, nec attolli ſuſum, nec teneri ſublaturum, niſi ad motu poſſet adminiculo. Nervi inſuper brachiorum ac ſcapularum, venæque ita ſunt heberatæ, ut neque progredi, neque brachia levare ſuſum, neque veſtibus indui, niſi alienâ ope poſſet. Adhibita varia inter remedia, etiam Althææ & olei unctiones; nihil tamen profectum, nedum perfectum. Quocirca ad communem Deiparæ Lindensis Aram animi aciem vertit; vovetque annuam, quoad vixerit, ad Lindente ſacrarium

peregrinationem. Et si verò eventus voti necdum respondisset, ille tamen, ut promissis responderet, citra moram, quàm potuit, iter ingressus, ubi Lindam venit, Scipioni utrâque manu inuixus, non sine periculo lapsus, ita debilis, adhuc & imbecillis erat, Aram circumiit. Eodem momento suus venis nervisque vigor, ac vires corpori rediêre; sed & cervix erecta ac firmata, brachiaque ac lacerti sunt consolidati, ut manus ultero citroque attollere repente & operâ cuiusunque admove, citra molestiam, posset. Quod & ipsi, qui hominem nôrant, aliique, qui aderant, communi spectaverunt, & ipse consequente Anno MDCLIV. tum aliis tum suæ in primis conscientiæ arbitrio, libens volensque enarravit.

IX.

Tumor pedum, nullis aliis remediis, nisi Lindensium peregrinationi, voto stabilitæ, cedit.

Hic verum fuit illud Poëtæ: *Virget præsentia Turni*
 Helenæ Bartholomæi Bobowsky uxori pedes immensi tumore suffusi erant, ut lecto affixa nullam in partem movere eos posset. Tentata omnia, quæ usquam haberi poterant remedia, nihil profectum. Quin & vota Lindam per alios non modò facta, veram & absoluta sunt; sed neque id profuit: nisi fortè ad majorem ægrotae spem atque fiduciam, erga Deum ac B. Virginem accendendam profuerit. Non enim toties quodammodo repulsam passa mulier spem abiecit; quin majore etiam fiduciâ, seipsam Lindam ulque, si revaluisset, profecturam, & terram sacram Adem geniculatim obituram voverat.

Tum enim vero auditæ supplicantis preces, & depulso confestim omni tumore, pedibus sanitas, reliquo verò corpori vigor & vires rediêre; ut ad v. Calend. Junias Anni MDCLII. Lindam potuerit adire, & quæ ablens sponderat, opere coràm exhibere.

X.

Ulceribus & enormi periculosoque corporis tumore, per votum Lindam factum, liberatus.

Haud procul Graudento, quæ inter Prussiarum Regiæ civitates non postrema est, & quatuor minimum itinere dierum Lindâ abest, pagus est Bzowo indigenis dictus; in quo Matthias Zyotwsky, operâ triturandis frugibus addictâ, mercenarium agebat. Ipsa natalis Deiparæ pervigilio, febris extemplo corripitur Anno MDCLII. postridie verò, ipso videlicet natali die, caput ulceribus scatere, ac mox corpus universum, ingravescente nimium morbo, vehementer cepit intumescere. Omnis cum viribus ambulandi facultas recessit, ita ut solidas propè duodecimginta hebdomadas, dolore juxta ac tumore mirum in modum distentus, ad fornacem decumbere cogereetur. Et jam altera Februarii anni sequentis dies, Deiparæ in Templo purificatæ sacra illuxerat; cum æger, qui interea de B. Virginis Lindensis beneficentia, non pauca didicerat, consilium apud se, de voto Lindam faciendo, dies noctesque agitare, & subsidium maximâ fiduciâ implorare à diva, cujus neque nomen antè unquam audierat. Commodum eâ ipsâ die sacerdos, in ejus pagi Templo, sacris operaturus adven-

rat; de quo postquam æger cognovit, enixè à patre-
familias & alio quodam amico flagitat, ut se, qui pe-
dibus inniti suis non posset, ad Templum, quâcun-
que tandem ratione, deducant, aut potius deportent.
Deportatus est, & jam in Templo positus, tantùm
libet, ut genibus niti potuerit, ut ægerrimè stans, aut
larius baculo innixus hærens, primùm quidem pæni-
tentia per exomologesin, deinde verò sacratissimum
Eucharistiæ sacramentum usurpârît; nil magis, quàm
adeundæ primo quoque tempore Lindæ votum ani-
mo versans. Credereseum, qui animo jam Lindæ
presens erat, corpore quoque fuisse: ita subitò tumor
& cum tumore pertinax ac diuturnus morbus subsi-
dit, ut, qui alienis manibus ad Templum erat depor-
tatus, pedibus suis, & quidem nullius, ac ne scipionis
quidem adminiculo fultus, domum remearet. Atque
hæc ipsemet disertè juxta ac sanctè apud Lindam as-
seruit, VIII. Idus Martii, Anni MDCLV. hæc etiam
presentes, Consul & consularis quidam Resselensis,
præter P. Petrum Althoff Societatis Jesu manibus
suis hunc in modum signârunt:

Ita esse testor, Simon Hagnau Proconsul Resselensis.

Ita est, Simon Flaxbinder manu propria.

XI.

Ulceribus periculosè oblitata mulier sanata.

Wysztyniec oppidum est in Lituania, ad ipsos
Prussæ fines juxta Olitam situm, viginti minimum
leucis semotum Lindæ: ex quo nihilominus Anna Mi-
lewska III. Cal. Jun. Anni MDCLIV, Lindam usque

Kk 5

pere-

peregrinationem voto firmatam absolvit pedes. Per dimidium anni, ulceribus cum reliquum corpus, tum alterum maximè pedem ita erat obsita, ut perpetuò decumberet, & omnes de pede illo actum censerent. Tamen ubi & plerique amicorum, & ipsa quoque adeundæ Lindæ vorum nuncupârunt, extemplo, quæ per octo septimanas sibi nihil sumere potuit, cibo refecta, pedi jam perfanato commodè inniti, ac progredi quaquaversum potuit, ut paulò post etiam Lindense iter perficeret.

XII.

Hæreticus, ab hydropè simul & hæresi, ex voto convaluit.

Nobilis est Rogalliorum in Masovia stirps, è qua nonnemo famulum è Ducatu Prussiæ, sibi magis quàm Deo Ecclesiæque fidum habuit; quippe hæresi à puero innutritum. Ad tantam animi luem, altera corpori ab hydropè accessit: sed utraque Deiparæ Lindensis ope recessit. Postquam enim herus illum divæ Lindensi devovit, hydrops continuò defluxit postquam verò ipse Dominus Rogalla famulum Lindæ stitit, etiam hæresi solutus est ad XVI. Cal. Novemb. MD CXLIII.

CAPUT XXIX.

Varia febrès per B. V. Lindensem depulsa.

Nullum à condito orbe fuit seculum, quo verum non fuerit illud Poëtæ (a)

(a) Horat. lib. I. ode 3.

*Post ignem atheriâ domo
Subductum, macies, & nova februum
Terris incubuit cohors.*

Planè cohors februum incumbit generi humano, ut enim morbi alii intra unius quasi stirpis angustias se continent; ita febres, totas armant in nos cohortes. Hinc Amphimerinæ aliæ, aliæ tertianæ, quartanæ, ardentes, & quæ generis ejus sunt. Omnes in perniciem nostram, ita armatæ, ut interdum sigillatim, interdum conjunctis quasi viribus grassentur. Hinc tertianæ duplices, duplices item quartanæ, & id genus. Nihilominus etjam contra hasce cohortes, Victoria apud Lindam suam Deipara triumphat. Accipe nonnulla de plurimis exempla.

I.

Vir in Lituania, genere & dignitate illustri, voto Lindam nuncupato, curatum se à febre profitetur.

Thomas Karniewsky is erat, nobili in Masovia genere natus, in Karniewo, Malechy, &c. Dominus ac heres: dignitate verò non modò in Aula, summi Magni Ducatus Lituaniæ Marsalci, verùm & in Republica haud postremus; quippe V Vasilkoviensis, ut vocant, *Tenutarivus*, & Surasienſis Propràfectus. Tantam in viro generis honorumque excellentiam, insignis erga DEUM pietas eximiè ornabat: quam ille cum aliàs sæpe, tum etjam præclarè testatus est, quando ad Templum Societati Jesu Pultovix à fundamentis erigendum, ejusdemque ac Collegii facta

recta

recta conservanda, paulò antè memoratum prædium Malechi, perpetuo jure, Deo & Societati addixit: ut mirum videri minimè debeat, si Deus eam in se liberalitatem, majore in eum per Divam Lindensem redonârit. Qua de re præstat ipsum, in suo chirographo, quod extat, audire hunc in modum differentem:

Thomas Karnievsky Tenutarius VVasilkovienſis, Vicecapitaneus Surafienſis, teſtor hoc chirographo meo, quòd me ex febrì graviter decumbentem, Illuſtriſſima Domina Dom. Alexandra de Sobieſz in VVieſtolovſka, magna magni Ducatus Lituania Marſalca, Tykocinenſis, Surafienſis, Kleſcieliſis, &c. Capitanea, Domina & Benefactrix mea clementiſſima, Lindam ad facellum B. Virginie votendo obtulerit; ex quo ſupremum Numen conſeſtim me, per interventionem beatiſſimæ Virginis, uti planè conſido, priſtina ſanitati reſtituit. In quorum fidem hac, in eodem ſacro Linda loco, ſcripſi & ſubſcripſi 4. Octob. 1642.

Thomas Karnievsky manu propria.

II.

Periculosa aliquot hebdomadam febris depulsa.

Varium & fallax malum est febris; sæpe lento quasi terpit gradu, interdum verò malignè in ipsam involat vitam. Non est proditum, quo tandem paſtoſuerit aggressa Matthæum Sebastiani, Allensteino oriundum, sed in familiam perillustriſis & admodum R. D. Alberti Rudnitzky Præpositi Varmiensiſis, Gnelnensiſis, Vniejoviensiſis, &c. Canonici adſcitum: proditum est tamen, tribus minimùm hebdomadis illi febris

febrili jactatione exagitatam, concepto ad B. V. Lindensem peregrinandi voto, confestim ex illa jactatione ereptam, & sub eadem fere tempora Lindæ voto solutum fuisse.

III.

Variâ febrî exhaustus adolescentulus, Lindæ curatus.

Filius is erat Domini Simonis Tausch Wormdiensis, & Brunsbergæ literis operam dabat. Tertianâ primùm febris in eum fecit impetum, quæ subitò in quotidianam degeneravit; ita ut, cum nonnihil, sive medicamentis, sive aliis remediis fracta remisisset, multò quàm ante sæviùs recruduerit. Spe propè omni decollante sanitatis, ad divam Lindensem, tanquam certam spei Anchoram, confugit, & iter Lindam ingressus, cum etiam pedes nonnihil, magnâ contentione esset emensus, ubi Lindæ propior est factus, febris extemplo refugit, pridie Calend. Junias MDCL. Anni.

IV.

Virgo à diuturna febrî liberata.

Sub eadem circiter tempora (neque enim proditum est, quo Anni MDCL. mente, aut die) supplex diva Lindensi gratias egit, Barbara Antonii Zimmerman civis Gutsstadiensis filia. Ab ipso fere Autumnii initio, ad sequentis anni ver planè aduictam, variis æstabat febribus: primùm enim tertianâ, tandem & quar-

quartanâ, malo utique admodum pertinaci, & sum-
morum etiam medicorum consilia operasq; eluden-
te, laborârat. Neque minus varia, adhibita sunt à va-
riis remedia; sed febrî idem curtus eademq; vis fuit;
quoad tandem voto Lindam concepto, remedium à
Deipara flagitatum est. Ab eo enim tempore ita re-
valuit, ut nullum deinceps morbi vestigium fuerit
residuum.

V.

Plurimæ febres, aut similes febribus morbi,
abacti.

Neque omnes, etiam eorum, qui Lindam curati
accedunt, morbi disertè exprimi, neque consignari
literis, neque ad extremum, jam consignati, sciri aut
in scripto haberi potuerunt; ob causas alio loco (a) à
nobis memoratas. Exiis, qui consignati sunt, paucula
vel unius duntaxat MDCKLIV. anni afferam exem-
pla, ut de cæterorum sive numero, sive qualitate, æsti-
mari queat. *Kalcksteino ex pago, districtus Vormitensis,
Mater pro filio, ope divæ Virginis Lindensis sanato, votum
persolvit die decimâ Maji. Eodem mense, ut idem
Commentariolus memorat, Simon Moczytovsky, ex
districtu Brunsbergensi æger, voto factò ad sacram Tiliam
convaleuit. Similiter mense Junio: Tertia Junii Meis-
censis civis, cum duobus liberis antea ægris, beatissima Vir-
gini supplex, gratias egit pro sanitate filiorum recuperata.
Item ex pago Ducali VVillemberg duæ matrone hæreticæ,
votum beatissimæ Virginis persolverunt, ob recuperatam il-
lius ope valetudinem. Quinta die Junii: Ex VVaslacensi*

(a) lib. 4. cap. 1.

pago Hedvigis hortulana, tribus septimanis agra, voto facta Lindam invisendi, convaluit; pedes votum persolvit. Item Dominus Lettau Aurifaber Gutstadiensis, gratus D. Virgini pro recuperata incolumitate, obtulit velum, pro calice regendo. Sextâ Junii: Dominus Ioannes Kalau civis Heilsbergensis, pro sanitate ope D. Virginis impetrata, munusculum D. Matri Lindensi obtulit. Decimâ: Virgo quaedam, Barbara Brunsbergensis, venit Lindam gratias actura divae Virg. pro curatione morbi. Duodecimâ: Colona quaedam Lauterensis gratias egit pro capite ab inflammatione liberato. Vigesiâ primâ: Piscatores Pasterienses, pro liberis suis ope divae Virg. curatis, vota exolverunt. Vigesiâ secundâ: Quidam Brunsbergensis senecio, gratias egit pro sanitate restituta. Vigesiâ octavâ: Duae matronae ducales, à septem miliaribus, voto divae Virgini exolverunt, pro liberis & pecoribus facta. Atque hæc intra unius mensis cancellos; quàm multa, imò quàm propè innumera, quàm denique varia essent, non modò quæ notata fuissent, nisi per oblivionem vel alia de causa excidissent; sed etiam, quæ ex jam notatis, per singulos annos, & menses, & dies excerptenda essent?

VI.

Anathemata quædam ac monumenta, febrium aliorumque similibus morborum, per B. V. depulsoforum.

Esti, uti diximus, etiam ex iis, quæ in commentariolos de febribus, aliisque id genus morbis relata sunt, recenseri non possint, quædam tamen monumenta, ut de plurimis aliis iudicium inde fiat, præteriri non debent.

Inter

Inter Tabellas votivas, ex argento factas, propè centum sunt, & quædam ex iis admodum insignes, quæ vel nullam omnino, vel nonnisi communem aliquam, citra ullius morbi memoriam, habent epigraphen. Ex iis verò, quæ paulò exactius rem memorant, aliquot, sunt, quæ depullarum sunt monumenta februm. Earum una hoc Epigramma habet:

Hoc insigne Bernardus Pilgrim Meelsacensis, astitit febrî vexatus, ac tandem eadem destitutus, in festo Assumptionis, B. V. M. in honorem D. O. M. & augustissima Dei Genitricis Mariae, sibi suisq; in animæ salutem, ex voto posuit, Anno 1644. Altera verò: Ego Dorothea Elertsche, nata Ludvvigina Dehmüt, liberata à quotidiana febrî, per intercessionem beatissimæ Virginis MARIAE 1646. Ex iis verò, quæ morbos in genere duntaxat memorant depullos, una epigraphen hanc præfert: Votum beatæ Virginis Mariæ Lindensi factum in morbo à Domino Samuele VVoysky, Anno Domini 1640. Altera verò hanc: Nicolaus Skarszevsky Canonicus Cracoviensis, ope Virginis beatæ Lindensis, levatus morbo periculoso, voti rem F. E. 1642. Tertia: Ioannes Rudzky, hoc monumentum restituta sibi sanitatis, grati animi ergo, Virgini Matri posuit. Poruisset idem similem epigraphen addere gemino candelabro & gemino itidem emunctorio, B. V. Lindensi, & argento dedicato; sed id humilitas, quæ inter maximas viri istius virtutes singularis erat, non permisit. Quarta: Deo, divaque Matri, calorū Regina augustissima, ob recuperatam Anno 1647. valetudinem, in grati animi testificationem offert dedicatque Albertus Rudnitzky Præpositus Varmiensis.

CAPIT

CAPVT XXX.

Lipothymia, curæ, angores, & cruciatus animi, per B.
V. Lindensem absterfi.

In febribus Lipothymias, hoc est curas edaces animi, cruciatusque subjungamus; quia non minus ac febres, et jam corporis vigorem viresque depascuntur. Cujus rei indicio potest esse ipse situs, qui in corpus ab animo exundat; ita ut plerisque, intra horarum aliquot, aut noctis unius intervallum, non modo situ & squalore, sed & canis subito adpersos fuisse, memoriæ sit proditum. Quem animi squalorem, adeoque & situm corporis, piissima apud Lindam Mater et jam abstergit. Unde necesse est, ut hic cum Ecclesia Græca (a) illam invocemus: *Medevulneris meis vulneribus, ô Puella; & motus anima mee, ô Virgo ad divinam voluntatem dirige. Tentationes demitiga. & fluctus miseranda anima mea compone; cor denique meum in angustiis positum solatio refice.*

I.

B. Virgo, Exhilaratricis nomen, vendicare sibi apud suam Lindam potest.

Est in Picardia Regni Galliarum Provincia, prodigiis
LI cl-

(a) In Menais 2. Ianuar. Ode 4. apud V Vagnereck.
πῆμι. ἢ ἰσασαί με τὰ τραύματα, κόρη, τῆς καρδίας, ἢ
κατεύδωσον τὰς ψυχῆς με τὰ κινήματα, εἰς θεῶν, παρθένη,
τὰ θύματα, τὰς πειρασμὸς καταπράινοι, τὰ κίματα
κόμισσον τῆς ἀθλίας με ψυχῆς, ἢ ἐν θλίψει ὑπάρχουσας
τῆν καρδίαν με παραπάλισον.

clarissima Dei Matris Imago, quam *Exbilaratricem*,
 seu *Dominam nostram Gaudiorum*, vulgò appellant, ex
 eo, quòd non modò germanos tres fratres, illustri
 apud Gallos genere natos, & inter Rhodios S. Ioan-
 nis Equites, virtute militariq; laude illustrissimos,
 apud Soltanum Ægypti, fædo ac diuturno in carcere
 detentos, adventu splendoreque suo sub annum
 M^{CCXXXI}. mirè exhalarârît, sed consequentibus de-
 inceptis annis, omnes ad se recurrentes, perfundat
 gaudio. Cû enim tres illi religiosissimi Christi milites
 (uti Iacobus Bosius apud Fridericum Formerû (a)
 in palma triumphali fusiùs percentet) neq; supplicis,
 neq; Ismeriæ Soltani filia Blanditiis vinci, vel à Chri-
 sto avelli ad Mahometem possent, quin imò, cûm Is-
 smeriã ipsam, quæ illos etjam ad impuras carnis il-
 lecebras, iussu patris pellicere satagebat, ad Christi fi-
 deiq; Christianæ, & magnæ in primis Dei Matris in-
 taminatæq; Virg. amorem oratione suâ accendissent,
 non potuit Ismeria Deiparæ Virginis, vel in sua ima-
 gine videndæ, non maximo flagrare desiderio. Ece-
 ce omnibus de Imagine sollicitis, cælitus Imago Dei-
 paræ ad carcerem miro cum splendore, maximaque
 militum lætitiã ac supervenientis deinde Ismeriæ hu-
 laritate, delata est! qua Regia Virgo ad Christi fidem
 magis inflammata, & cum iisdem fratribus, assumptâ
 secum Deiparæ Imagine, fugã capessens, ex Ægypto
 in Galliam usq; haud dubio Angelorum ministerio
 unâ cum Imagine, religiosisq; militibus prope mo-
 mento, in somnis translata est. Ibi non modò
 ab Ismeria, quæ apud militem illorum marce-
 rant

(a) Lib. 5. cap. 22.

pmissam exegit vitam, verum & ab universo po-
 pulo, in condita ipsi Æde plurimum coli cepit, ho-
 dieq; colitur, recepto ubiq; Exhilaratricis nomine.
 Quodni verò idem sibi exhilaratricis nomen Diva
 Lindensis vendicet, quæ rem ipsam, à tot jam secu-
 lis, possidet? Nescio an ex iis, qui Lindam plurimi
 frequentissimiq; prope indies confluunt, ullo se
 alio loco magis exhilaratum quispiam senterit.
 Quid, quod plerosque in situ ac squalore animi
 longe alibi positos, ubi ad Divam Lindensem e-
 jusque præsidium, animi aciem flectunt, exhilarari,
 & animis serenari, exempla docent? Paucula de
 multis audi.

II.

Vir nobilis, unà cum conjugè, fatentur se ma-
 ximis animi angustiis per B. V.
 ereptos.

Memorat id Commentariolus ad XVI. Cal. O-
 ctobres, verum præstat, positum apud Lindam rei
 monumentum intueri, & ex eo de omnibus edo-
 ceri Tabula argentea est, cui sequens epigramma
 est insculptum:

*D. O. M. & B. V. M. Regina Angelorum, consolatriq; ue
 rum, Ioannes à Boianczyce Boianeki, & Ursula à
 Wassen conjuges, in summis angustiis constituti, accepto
 huiusmodi memores, votivam hanc tabellam dicant, Anno
 1741. die 1. Martii.*

Qui igitur hunc in modum ab illis animo
 fixis tenebris, per B. V. Lindensem se levatos
 viderunt, non poterant deinceps in offusa
 oculis

oculis filioli sui caligine, non maximam collocare
B. Virgine spem atque fiduciam, ac pro spe fiducia
sua votorum compotes fieri, uti alio jam loco a
bis memoratum. (a)

III.

Cracoviensis quidam, ob depulsam ab animo dol
rum acerbiter, Deiparæ apud Lindam
gratias agit.

Habet hoc præ cæteris arboribus Tilia, quæ
cum melleo abundet rore, opibus etiam longissim
advolentibus, gratissimum præbeat pabulum, etiam
ac hospitium. Gaudium, & tranquillitas animi, quæ
in hac valle, ut ajunt, lacrymarum, haberi potest, et
rum animarum mel, aut melleus potius rose est: *fi
nim* (quod melleæ author eloquentiæ (b) *lectis
tantummodò rorat, pleno alveo, à fonte illo Deiparæ
ipsa beatitatis patria decurrit. Hoc rore melleo,
Mariana carere non debuit; quæ, vel ob unicam
trocinii Mariani umbram, tot populis ac genibus
instar apum per densa supplicantium agmina, quæ
per apum examina identidem confluentibus gratia
simum præbet hospitium. Quos inter, apus instar
volavit, qui longissimo septuaginta omnino leucarum
spatio, Cracoviâ usque Lindam advenit, quemadmodum
commentariolus ad Anni MDCXLII. diei
decimam septimam Julii diem memorat, e tum
angustiis liberatus cum esset, Deiparæ Lindam gratias
egit.*

(a) lib. 4. cap. 9. §. 9. (b) Ioan. Rho vari
lib. 1. cap. 9.

IV.

Decem nobiles matronæ, ex ipſa uſque Vkraina peregrinæ B. Virgini Lindenſi, quæ ſe è periculis animi que ſummis anguſtiis eripuit, gratias agunt.

Quartus in decurſu annus eſt, cùm pax Polonos inter ac Tartaros iſta fuit eâ conditione, ut redituris è Polonia Scythiſ viaticum è Polonia provinciis ſumerent, & prædas in futurum commeatum liceret agere. Agebant more ſuo Tartari; & alias quidem citiores Provincias rapinis, alias verò omnes timore & periculis repleverunt; ut nemo, præſertim cis & trans Leopolim, ſecurus à prædonibus, timoris verò & angoris plena eſſent omnia. In iis animorum anguſtiis, decem nobiles matronæ, amiſſis pleræque cobello ac terrarum vaſtatione maritis, variè palantes, alicubi ſimul coactæ, cùm in Vkraina quoque longè ac late beneficia Deiparæ Lindenſis perſonarent, eò ſibi recurrendum cenſuerunt. De communi proinde conſilio Deiparæ Lindenſis votum nuncupant, ſi ex tâ belli prædonum que tempeſtate, ſalvæ atque incolumes evaſiſſent, Lindæ ſe Deo ac Deiparæ gratas coram futuras. Evaſerunt; & proinde, quemadmodum voverant, ſumpto pauperum ac mendicorum habitu, quin & mendicato per totum iter victu, pedibus iter aggreſſæ, pedibus itidem confecerunt; & leucas plus centum ita emenſæ, tandem pro ipſo B. V. Eliſabetham Viſitantis feſto Anno MDCLIV. Lindæ præſentes, magno cum animi gaudio gratias

L 13

egerunt.

egerunt. Vix erat, qui eas, ita mendicabulorum mor-
ornatas, quæ, & unde essent, agnosceret: ignotumq;
ad hanc diem esset Deiparæ beneficium, nisi earum
quædam, ob filiolum morbo impeditum, cæteris do-
mum remeantibus, in Prussia hæere coacta, & se-
quente postmodum anno, Lindam iterum iterumq;
revisens indicium fecisset.

V.

Quidam anathematis & votivis tabellis, depulso
ab animo per B. V. squalores mærorum-
quæ nubes professi.

Ad cæteras votivas ex argento tabellas, Anno
MDCL. accessit, quædam; ex qua facile intelligas
non nisi in summo animi squalore, atq; angustiis pro-
missam, ac deinceps, iis ope Deiparæ Lindenlis felici-
ter abactis, dicatam esse. Sic enim symbola, & lem-
mata symbolis adjecta habent. In medio effigies
B. Virginis, cui supernè inscriptum: *Eccc Mater tu.*
Ad dextram spectatur. Cor gladio confixum, cum
adjecta epigraphe: *Non ignara mali, miseris succurrere*
disco. Ad sinistram, Gallina pullos sub alas congre-
gans, cum lemmate: *Ita ego consolabor vot.* (a) 66.
Deniq; infra effigiè Deiparæ adjectum: *Maria Mater*
Iesu, Consolatrix afflictorum, ora pro nobis. Catbarua Pa-
gnerin 1650. Similis propè est tabella alia, in qua Col-
septem gladiis confixum cum rythmo Germanico
hunc sensum: *Ad te, o Mater dolorum, est ex corde refu-*
gum meum (a) *Gertrudis Schoenhoffin 1647. Paucioribus*

(a) Zu dir, O Mutter der Schmerzen/
Steher mein Zuflucht von Herzen.

neque tamen minus apertis explicatisque ver-
 bis idipsum argentea itidem tabella alia loqui-
 tur. Cordis in ea sculpta est figura: & circum adjecta
 literæ Z. S. M. E. At verò à tergo tabellæ atramen-
 to inscriptum. *Sophia Z. à cordis dolore, patrocinio*
B. V. Lindenensis liberata, hanc tabellam Linda offert.
 Forasse idipsum profitetur alia, in qua cordis ima-
 go, & lemma adjectum. *Sancta Maria, ora pro nobis.*
 At verò à tergo insculptæ literæ M. A. A. P. VV. Anno
 1659, quæ indicant tabellam, ab admodum R. D. Mi-
 chaeli Axamitovvsky Archipresbytero Parocho Vormidi-
 tani esse dicatam: à quo quidem insuper eidem Lin-
 deni Deiparæ dicata est tum lampas argentea plus
 centum florenis comparata, tum tabella itidem ar-
 gentea in genæ humanæ figuram efformata, tum de-
 niq; aëlia, cui inscripta B. V. imago & pedibus e-
 jus subscriptum M. A. C. VV. Anno 1646. Denique
 hoc etiam indicare tres aliæ tabellæ videntur, qua-
 rum alteri adpictus Christus in medio cordis quie-
 scens, cum epigraphe: *Deus cordis mei, & pars mea*
Deum in aeternum. Urbanus Bucholtz: alteri verò in-
 scriptum rythmo Germanico (a) ad illius Latini sen-
 tum: *Dum fortuna favet, caveto tolli: Dum fortuna to-*
nat, caveto mergi. Tertiæ verò itidem inscriptum: Sa-
lum infirmorum, Refugium peccatorum, Consolatrix affli-
ctorum. Catharina Georgii Eisenblerers uxor Anno
1652. die 8. Junii F. I.

LI 4

CA.

(a) Clemens Schwarz/ seine Hausfrau Christina.
 Im Glück erhebe dich nicht/ in Unglück vertage nie.
 Gott ist der Mann/ der alles wenden kan.

CAPVT XXXI.

A variis Elementorum, præsertim verò aquæ tempestibus, subsidio B. V. Lindenſis erepti.

NE hominum duntaxat, aut terræ solius Reginam crederemus **MARIAM**, imperium, quod in mundum, omniaquæ mundi elementa divinitus sibi concessum exercet, satis indicio nobis est. Quod quidem imperium, quàm illa apud Lindam quoque administret, exempla, quæ jam adferemus, sumptu à mari & aquis initio, docebunt.

I.

B. Virgo MARIA, etiam apud suam Lindam Marianam est vera Maris stella.

S. Bonaventura, in eo, quod de B. Virgine ex polivit, speculo, Legitur, & verum est, inquit, quod nautarum mos est, ut, cum in aliquam terram navigare disponunt, unum sidus eligant, cujus signo, luce radiante, eam, quam desiderant, partem possint sine errore adducere. Tale certè officium est stella nostra, **MARIAE**, quandoque gantes per mare mundi in navi innocentia, vel penitentia, dirigit ad littus caelestis patriæ. Hinc melli filius Desperata negyristes Bernardus, Ipsa est, inquit (a) præclaræ & eximia stella, super hoc Mare magnum & spaciosum necessario sublevata, micans meritum, illustrans exempla, si insurgunt venti tentationum, si incurras scopulos tribulationum; si jaectaris superbia undis, si ambitionis, si detractionis; si emulationis; respice stellam, voca **MARIAM**: si itaque

(a) hom. 2. super Missus.

dia, aut avaritia, aut carnis illecebra, naviculam concusserit mentu, respice ad **MARIAM**: non recedat ab ore, non recedat à corde. Hinc denique, ut alios mittamus, & S. Amedæus, Duci, inquit (a) non potest, quoties in asperrimis scopulis naufragaturi offenderent, illi in Syrtibus pessimis non reversuri inciderent, hos Scyllæa vorago hiatu horribili mergeret, illos Sirenarum cantus in exitium dulce retinerent; nisi stella maris perpetua Virgo **MARIA**, ope validissimâ obstitisset; suosquæ jam fracto gubernaculo, & rate conquassatâ, omni humano consilio destitutos, caelesti ducatu ad portum æternæ pacis applicandos eveheret. Verùm hæc, inquires, mystica sunt. Ita quidem; sunt mystica, sed quæ magnæ Dei Matris supra naturam universi hujus imperium non tam minuant, quam exaggerent. Si enim mentis humanæ fluctus, qui profectò immaniores, quàm in ipso Oceano, sunt, componere ac domare potest; quid ni fluminis, quid ni etiam cujuscunque pelagi tempestates composuerit, atque perdomuerit? Quod cum alibi, cum apud suam Lindam, quo pacto, vera maris stella, Virgo Deipara faciat, pauca de multis jam docebunt exempla.

II.

Illustrissimus Episcopus Varmiensis, sævissimâ in Balthico tempestate triduum jactatus, factò ad **B. V. Lindensem** voto, à præsentè naufragio, cum aliis omnibus servatus.

Inter votivas apud Lindam Marianam tabellas,

Ll s

præ

(a) hom. 8. de laud. Virg.

præ omnibus in oculos magis incurrit, quæ cæteris omnibus major est: cubitum enim propè integrum longa est, paulò minùs lata. Nullum prorsus habet inscriptum verbum; exaratis tamen symbolis, rem prudentibus utcunque eloquitur. Principiò enim stemma, dextram partem versùs insculptum, tabulam ab Illustrissimo & Reverendissimo Domino Venceslao comite de Lesno, Episcopo Varmienfi S. R. I. Principe, dicatam testatur. Deinde navis immanibus aquarum, non tam fluctibus, quam verticibus propemodum hausta, præsentissimum naufragii periculum enuntiat. Denique B. Virginis, puerum IESUM sinu manibusque gestantis, effigies, intra nubes supernè eminent, non minus præsens Deiparæ in eo naufragio præsidium indicat. Res in hunc modum gesta. Anno seculi hujus supra quadragesimum quinto, fortunatissimus Poloniae Rex Vladislaus IV. pro deducenda è Galliis Regina, serenissima Ludovica Maria, legatos, & in his legationis Principem Illustrissimum Episcopum Varmiensem, expedit. Ad XVI. Calendas Septembres, Balthico in Belgium deportandos. Gedani cum præcipuis è familia (nam equi tercentum, cum suppellectile ac familiâ reliqua, aliis vehebantur onerariis) navem conscendit. Progressis nonnihil è portu navibus, ea incubuit maris tempestas, qualem Princeps Poëtarum jam olim depinxit (a) Nam & venti.

(a) Virg. I. Aeneid.

*Incubère mari, totumque à sedibus imis
Vnà Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
Africis & vastosvolvunt ad litora fluctus.*

Qui aliàs non rarò navigarant, & maris pericu-
la tempestatesque haud semel experti fuerant, nun-
quam se paria expertos fatebantur. Cùm igitur cæ-
teris navibus aliò divulsis & fæde jactatis, præci-
pua illa non tam fluctibus quàm fulminibus quasi
videretur, & ut ejusdem Poëtæ verbis utar, omni-
bus præsentem intentarent omnia mortem, adeoque
Medicorum nonnemo, periculorum istiusmodi
haud ignarus, corporis animique viribus, labanti-
bus mortuo propior, intra carinam jaceret, ut re-
vocari ad se atque erigi ægerimè posset; ne navar-
cho quidem satis aut animi aut fiduciæ erat: quippe
palàm edicenti, ni tempesta remiserit, quatuor
intra ac viginti horas pereundum omnibus esse. At
tempesta triduum integrum, sine requiete ulla,
tenuit, sumpto à sabbathi die initio: qui quidem
dies, Deiparæ per omnes Ecclesiæ Catholicæ fines,
præ cæteris sacer, facilè omnes in eo periculo ver-
santes, Patrocini ejusdem Deiparæ tanquam sacræ
Anchoræ, potuit admonere. Illustrissimo certè E-
piscopo sicut animus extra pericula, ita pietas erga
Deiparam sua constitit. Tametsi enim in eo pericu-
li, quin & mortis præsentis articulo per sacrum
penitentia Sacramentum sese armaverat; nunquam
tamen de summâ in patrocinio Deiparæ fiduciâ vel
tantillum remisit. Quin aded in eâ sacræ Anchoræ
spei, stellaque maris, et jam apud Marianâ ipsius Lindæ,
clarissi-

clarissimè effulgentè, defixerat oculos, ut concepto mox voto, singulari se illi pietate obstrinxerit. Eo voto edito, & quasi anchorâ, non jam in salo solove, sed in cælo constantissimè fixâ, non animo tantum verum & corpori serenitas rediit; navisque toto Balthico variè gravissimequè jactata, ac propè fatiscens, haud procul Lubeca. ad Insulam Bornholm dictam, salvos & incolumes expoluit universos. Quocirca Illustrissimus Antistes, ubi confecto in Calliis feliciter negotio, domum se recepit, nihil antiquius habuit, quam ut se voti reum testaretur; & non modò suspenso illo ad Lindam anathemate, verum & frequenti ad eandem Lindam peregrinatione, dignas tanto beneficio ageret gratias.

III.

Civis Traumburgensis, maximo naufragii periculo ereptus.

Anno MDCLII. ad XII. Cal. sextiles, voto, quo Deiparæ Lindensi obstrictus tenebatur, absolvit se Andreas Herbst civis Traumburgensis. Sinus Balthici maris est, cui Traumburgum oppidum inter cætera adjacet (Habum vulgò appellatum) qui Traumburgensibus tum piscandi, tum Elbingam, Gedanum, Regiomontum ultro citroque navigandi occasionem facultatemquè præbet egregiam. Eadem usus, quem nominavimus, Andreas Herbst, Regiomontum lembo vectus erat; &, confecto feliciter negotio, reditum maturabat. Sed reditus non perinde felix illi fuit, ac nisi Diva Lindensis in partem felicitatis vocata adfuisset, propè nullus. Reverten-

A naufragiis vel tempestatibus per B. V. Lindensem erepti. 541
vertentem enim principio ventus adversus, deinde
etiam coorta vehemens procella, non tam excepit,
quam cum navi propè obruit: obruissetque haud
dubiè, nisi invocata, ut diximus Virgo Linden-
situro adfuisset. Posteaquam illi ceræ supra pon-
do semissem vovit, ilico & tempestas, & venti po-
suère: naviculaque prosperè Traumburgum appul-
sa vectores suos incolumes reddidit.

C A P V T XXXII.

Ab igne & incēdiis per B. V. Lindensem servati.

AB Elemento aquæ, ad ignem gradum facimus,
& quasi ab imo sursum ferimur; non minùs in i-
gne, quàm in aqua reperturi, tum periculi ac per-
niciæ in mortales, tum patrocini Deiparæ Linden-
sis in eosdem.

I.

Libertinus Meelsaccensis ab incendio liberatus.

Libertinos in Prussia, vocant agricolas illos, qui
nobiles inter ac rusticos mediæ sunt sortis: nam &
cum his, genus commune habent (nisi quod pleriq;
eorum nobili stirpe procreati genus suum aut igno-
rent, aut non æstiment) & cum illis libertatem: ne-
que enim ad onera operasque rusticas, ut alii, sunt
adstricti; quippe qui perinde ac cæteri nobiles, mi-
litarem, ut vocant, servitutem præstent. Aut enim
singuli, aut pro fundi, quem possident, ratione,
plures simul juncti, quoties res poscit, armis probè
muniti, campum Martium exercitandi ingrediun-
tur,

tur, inde in aciem, & quasi ex umbra palæstræ, in solem strictorumque in hostes præsentis armorum lucem processuri. Ex eo hominum genere, quidam in Meellaccensi provinciâ erat, qui Anno MDCLIV. ab exorto repente incendio gravissimum fortunarum omnium ædiamque discrimen adierat. Sed omni profus discrimine exemptus est, ubi se in eo incendii æstu sub patrocinii Mariani umbram, nuncupato Lindam voto, recepit. Cujus votiteus ad VII. Id. Junias ejusdem anni, Lindam adiit, & servatrici suæ gratias ex animo egit.

II.

Schulensis pagus, ab incendio per Deiparam
Lindensem immunitatis publicæ quotannis
supplicatione Lindæ gratias agit.

Satis constat, proximis à sacratissimi Corporis Christi diebus, solitos piâ supplicantium pompâ, adesse quovis anno Lindæ, omnes aut plurimos Schulensis pagi, ad Heilsbergensem Coloniam pertinentis, inquilinos: non tamen perinde constat, quo anno sint ab incendio, cujus depulsi causâ adesse solent, erepti. Sculterus uterque (ita Præfectos villarum appellant) ædes incendio illo contumptas jam habebat, habiturus brevi & vicinorum omnium; nisi interim suppliciter invocata Deipara Lindensis, suo interventu flammam ac latius grassaturam ignem domuisset.

III. Ci

III.

Cives Bisteinenses, à gravissimo incendio, per B. V. Lindensem exempti, institutâ extra ordinem publicâ supplicatione, Deo ac Deiparæ gratias agunt.

Solennis est quo vis anno, uti aliàs memoravimus, Civitati Bisteinensi, ad Divam Lindensem supplicatio, qua, ob depulsam à se pestilentia luem, grandem cereum, qui ad Aram toto usatur anno, deferunt. Præter hanc, instituta est extra ordinem alia perinde solennis, IV. Nonas Februarii, ipso videlicet Purificatæ Virginis die ANNI MDCLIV. qua & molis ejusdem cereus oblatus, & gratiæ pro averso incendio suppliciter actæ. Sub finem Januarii ejusdem anni diem & noctem integram vehemens perflabat ventus, ut etjam grandiores arborum ramos frangeret, ac quaquaversum proturbaret. Erant inter Suburbii horrea Ædes macerando fingendoque in usum cerevisiæ hordeo idoneæ, *Braseatorium*, vulgo dictæ: in quibus paries ligneus gliscentem secretò ignem jam ante conceperat. Excitatus vento tam vehemente ignis, subito erupit, & latè diffusus, non dictas modo ædes, verùm & horrea vicina populaturus erat. Nox erat, & cives sub ejus prope medium somno oppressi: quo majus omnibus imminebat periculum. Accurrit cum venerabili Sacramento Parochus, accur-

accur-

accurrunt & cives fomno excitati; præsentique in Eucharistia Deo, atque ejusdem Virgini Matri, voto solennibus verbis concepto, humi strati omnes, publicam ad Lindam Marianam adpromittunt supplicationem, & Cereum, pacis priori magnitudinis, in eadem supplicatione dedicandum. Vix solennes illæ preces absolutæ sunt, cum & ventus, & flamma, quæ civitati incumberebat tota, retro agi, & quasi refugere civitatem cæpit. Imminebat nihilominus grave horreis discrimen, præsertim cum lupulus, quo ædes jam ardentes refertæ erant; jam accensus provolaret, & in horrea et jam remotiora, impellente vento deferretur. Ea tamen fuit prædii Deiparæ vis, ut neque horreum, ignem ullum conceperit, neque ædes illæ jam ardentes integra consumptæ sint; quin & lupuli, & hordei pars non ex qua inisdem servata: magno utique divini præsidii ac patrocinii Deiparæ Lindensis argumento.

IV.

Civitas Meelsaccensis, à præsentente incendio servatam se insigni ad Lindam supplicatione professæ est.

Ad VI. Calend. Septemb. Anni MDCLIV. insignis, si qua unquam, sive numerum, sive ordinem, præteritatemve spectes, Meelsaccensium fuit ad Lindam Marianam supplicatio. Quindecim minimum leucæ abest Lindam Meelsaccum: & tamen id tanti itineris spacium, nemo fere nisi pedes emensus est; et jam anus decrepitæ & matronæ liberalius educatæ pedes stri interesse agmini piâ ambitione contendere. In

nimirum ab igne, qui paulò ante grassari in civitatem contendebat, accensæ sunt pietatis & amoris divini exaggeratæ faces. Pridie Nonas Majas ejusdem anni, ipsâ noctis duodecimâ horâ, gravidis procella nubibus excussum fulmen in horreum Suburbii incidit, & momento flammam concepit; flamma verò in vicinas effusa ædes, eodem malo eas involvit. Trepidati è somno cives accurrunt, & manus sistendo igni nequidquam admovent. Accurrit demum, pro recepto more, ipse loci Curio, idemque Archipresbyter; & quo armatus erat, divinæ Eucharistiæ ferculum grassanti, & (ni Deus obstarer) immensum grassaturo igni obtendit. Civem interea, præsens in Eucharistia Numen conspici, vota quisque ad præsentis Numinis matrem, ejusdemque Lindam, clam, palam, ut cuique pietas ac necessitas permittebat, ingeminare. Hic verò quasi frænum quoddam incendio injectum! Nam cum paulò antè latissimè, et jam supra duo passuum millia flammæ volitando spargerentur, & non prunæ modò, verum & tigna integra quaquaversum à vento impellerentur, jam flamma intra sese coacta, coni in modum quietissimè sursum ferri, ac sensim emori cepit. Quin & prunæ, quæ vel sponte in vicina horrea, stramine recta cadebant, vel impellente vento in citeriores ædes igni ac voraci flammæ perinde obnoxias ferebantur, innoxie omnino erant; & tam manifesto sui spectaculo, aut potius miraculo, cunctos reddebant attonitos. Præter terna horrea flammis initio correpta, nihil cætera horrea ædesve, quantumvis

M m

vicinæ,

vicinæ, ab eo incendio, et jam in suburbiis passæ; intra murum verò, quo et jam carbones ac tigna ardente per rumpebant, ne quidem vestigium ignis relictum. Itaque, ita quinque hebdomadam interjecto deinceps spatio, à fulmine ædibus aliis iterum illapso ortum immane incendium, non hominum, sed Dei ac Deiparæ Lindensis patrocinio, restinctum quærit. Quod beneficiû etsi publicâ, ut diximus, supplicatione grati Meelsaccenses venerati sunt; ne tamen ejus memoria, cura impressis ab se humi vestigiis, præteriret, aut futuris aboleretur temporibus, publico id monumento, atq; anathemate, voluerunt apud Lindam relinquere consignatum. Tabula est argentea affabrè elaborata, plus pedem geometricum longa, in qua civitas in medio sculpta, cum epigraphe Germanica (a) *Civitas Meelsaccensis*. Superne eminet effigies supremi Numinis, quasi manu aquam pargentis, cum adjecto lemmate: *Dabo prodigia in celo & in terra; ignem & vaporem fumi, Isai. 2.* Inferne supplicibus humi procumbentibus adjectum; *Sub tuum præsidium*. Deinde verò: *Parce Domine, parce populo tuo*. Atque hæc civitas universa; jam verò Dominus Joannes Hanman, cujus alias meminimus (b) singulare expertus beneficiû, dum ipsius horreum flammis atque incendio admodum vicinum, illæsum intactumque perstitit, singulare ex argento anathema posuit, cum adjecto lemmate: *Sub tuum præsidium*. Denique & Bartholomæus Mentzel inter oppidanos non postremus, quamvis horreum ipsius incendio consumptum esset, quia

(a) Die Statt Meelsack (b) lib. 4. cap.

quia tamen sui unius noxa placatum Numé agnovit
in aliorum salute suam consistere ratus, gratias egit
& in grati monumentum animi, tabellam itidem
argenteam dedicavit, quâ vernacula linguâ obsecrat,
tum, ut Deus cæteros ad egestatem ne redigat, tum,
ut Mater DEI supplicem se pro omnibus interpo-
nat (a)

CAPUT XXXIII.

Ab aëris inclementiâ, & pestilentiz contagione, Divæ Lindensis
præsidio defensi.

Omnes quidem morbi, sed præ cæteris, sæva pesti-
lentiæ lues mortales nos esse palam declarat; cum
non per decimationem, sed interdum etiam viritum,
decensu mortalium dependit tributum. Nihil in eo
malo veteres præsidii potioris invenere, quàm co-
lubarum esum; quas, dum pestilentia grassatur, in
honore mensarum Aegyptiæ fuisse tradidit Horus (b)
Plinius quoque laudat earum carnes, tanquam pe-
stilentiz adversantes (c) Nobis vel solus ad spectus,
adversus pestem subsidio est illius, cui toties in di-
vino Epithalamio Columbæ elogia sponsus attri-
buit. Quæ quidem elogia, etiam apud suam Lindam
eximie illa meretur, ut aliàs vidimus (d) & hic
quoque exempla ostendent.

M m 2

I. Non-

(a) Ach Gott vom Himmel! laß doch nit viel ar-
me Leute werden. Heylige Mutter Gottes! bitt für
vns. Darc. Mengel 1674. (b) lib. 1. Hierogl. (c) apud
Pierium lib. 22. (d) lib.

I.

Nonnulli Traumburgenses Deiparæ Lindenſi, ex
peſtis domitrici, eximiam magnitudine
Imaginem dicant.

Anno MD CXL. Imago paulò major, quippe ali-
quot cubitos longa, B. Virginis Chriſtum Domi-
num de Cruce de poſitum ſinu geſtantis, apud Lin-
dam dedicata eſt. Qui, & qua de cauſa eam dicant,
inſcriptio vernacula lingua infernè adjecta (a) hunc
in modum edocet: *Ex voto quorundam Traumburgensium,
hac Imago ad locum hunc delata eſt Anno 1640.*
Dubitandum minimè eſt, quin propitiâ exper-
ſiſſent in ea contagione Lindenſem Divam, quam ali-
quæ ſæpe experiuntur; ut nullus ſit annus, quin Traumbur-
genses, quanquam Linda admodum diſſiti ſint,
gratias acturi plures Lindam accedant.

II.

Illuſtriſſimus Dux Radivilius, à graſſante Regio-
monti peſte ſervatus, grati animi monu-
mentum Deiparæ Lin-
denſi poſuit.

Anno Domini MD CLIII allata eſt Regiomonti
inſignis quâ labore, quâ mole tabella argentea, in
qua, circum ſtemma Illuſtriſſimorum Ducum Radiv-
viliorum, ſequentes notæ ſunt adjectæ: *I. V. R. S. R. I.*
Princeps D. in O. N. quæ indicant, anathema illud

(a) Auß Gelöbte erlicher Traumbürger / zur An-
wendung der Peſt / iſt dieß Bildt hergebracht Anno
1640.

missum fuisse à Ioanne Vladislao Radivilo, sacri
 Rom. Imp. Principe, Duce in Olyka & Hieswicz.
 Causa, præter singularem illius Principis erga Dei-
 pnam religionem, quæ tum Regiomonti sædè
 grassabatur, pestis. Qua quidem præter alios extin-
 ctus est, longiore ævo dignissimus P. Joannes
 Kühn Societatis Jesu Sacerdos, magni apud Regio-
 montanos, etjam à catholica Ecclesia alienos, præ-
 fertim verò Academicos, tum nominis, tum etjam
 auctoritatis, quam illi & doctrina planè singularis,
 & ingenii facultates eximia, & mores humanitate
 atque facilitate mirâ conditi, etjam ad ipsorum ad-
 mirationem adversariorum pepererunt. Quarum, ut
 & plurimarum aliarum illius virtutum elucet vesti-
 gia in illa, quæ sub Audifacii nomine prodiit, Episto-
 la, in qua recensentur pleraque, quæ in disputatione
 cum Dom. Drejeto gloriosissimè in Academia Regio-
 montana habita, intervenerunt. Quo ipso tempore,
 cum Illustriss. Radivilus Regiomonti degeret, & non
 ratò etjã cum ipso P. Kühn versaretur, non poterat se,
 nisi in ipso contagionis illius incendio constitutū non
 existimare. Sed neq; aliunde præsentius, quã à Linda
 Mariava, poterat amuletum expectare. Eo amuleto
 cum ipse, tum familia ipsius universa, incolumis ser-
 vata est.

III.

Civis Regiomontanus ex voto Lindam nuncupato,
 tum ipse à lue, quin & morte creptus, tum fami-
 lia incolumis conservata.

Eodem anno, atq; eodem ex loco, allata est Lin-
 dam

Mm 5

dam

dam argentea tabella, cum hac epigraphe, ante Crucifixi Imaginem genu adorantibus subscripta, *Casparus Krabath, & Barbara Krabatſche*. Divinari potuit eadem quoque ex causa allatam fuisse, ſciri tamen liquido tum non potuit; quoad conſequentem demum anno clariffimè eſt cognitum. Nam Casparus Krabath civis & Frenifex Regiomontanus, vir in patris ſtrenuè catholicus graſſante in ea urbe peſtilentia atque ædes ipſius undique obſidente, eadem locum tandem & ipſe quoque afflatus, non uno ſed pluribus ſcatebat ulceribus: quibus malum, quod viſcera penitus inſederat, foras quoque prorumpibat. Coniunx̄ eius Barbara, admirandorum Deiparæ Lindæſis beneficiorum haud ignara, Reſſelio quippe oriunda, virum in extremis jam poſitum, ſequè ipſam cum familia univerſa, fixis humi genibus, maxima, qua poteſt, religione devoveret, & continuo peſtilentia tum jam graſſanti; curſum tum aditum querenti, viam intercluſit. Ab eo enim voto, & reliqui omnes intra domum incolumes ſervati ſunt; & Vir ipſe conſeſſim perſanatus. Qua cauſa, uterque vel ſaltem eorum alteruter Lindam quotannis reviſit, ut Deiparæ tantis pro beneficiis agat gratias. Et ſuperiore quidem anno uterque adfuit, atque eſtiam tabellam, perpetuum accepti beneficii monumentum ad Aram Deiparæ appendit; hoc verò, anno uxor, ſuo ac viri nomine cum Lindam acceſſiſſet, rem, uti memoravimus, atque uti geſta eſt, ſanctè enarravit.

IV.

Civis Gedanenſis beneficio Divæ Lindenſis
à peſte liber.

Etjam Gedanum illius ejusdem anni lues per-
 ruit, & non minus quàm Regiomonti deſævit. De-
 gebat ibi Georgius Luchs apud Generalem Illuſt. E-
 piſc. Cujavienſis Vicarium cauſarum actor, Inſti-
 gatorum vulgò appellant; cui tanquàm avunculo ma-
 terno, in præſente contagii illius flammâ poſito,
 Margaretha Virgo, Ioannis Conradi civis Tolk-
 mienſis filia ſuccurrit. Poſtquam enim vidit avun-
 culi ſui domum utrinque jam à peſte obſideri (in
 altera enim contiguarum domorum nonniſi unus,
 in altera verò nonniſi duo ex omnibus ſuperſtites
 relicti erant) rem illius tunc maximè agi rata,
 peries cum proximus arderet, Deiparæ Lindenſi il-
 lum ſupplex commendat, & votum peregrinatio-
 nis ad Lindam ſuſcipiendæ pronuntiat. Audivit
 Deipara ſupplicem, & avunculum ſervavit inco-
 lumè. Inde Margareta voti rea, 1v. Cal. Iulias Anni
 MDCLV. Lindam uſque pedes accurrit, & gratias
 ex animo fuſis pedes itidem, magnâ cum alacritate,
 vertorum relegit.

M m 4

V. Vni

V.

Univerſa Civitas Heilsbergensis, inſtituta ad B. V. Lindenfem publicâ ſupplicatione, ejuſdem ſe præſidio à graſſante peſtilentia ereptam reſtata eſt.

Sub idipſum tempus Varmiam eadem peſtilentia lues alicubi invaſit, & Kerwinen Heilsbergensis coloniæ pagum aliumquæ in vicino poſitum, populata eſt. Quin & Heilsbergam non tam irrupit, quam per incuriam civis cujuſdam Regiomonti deducta eſt. Emerat ille merces quædam Regiomonti, quibus Heilsbergam deportatis, epimetri loco adjecta fuit peſtilentia. Simul enim ac domi illas merces depoluit, uxor, hauſtâ ex iis peſtilentia aurâ, propediem defuncta eſt. Neque dum tamen viciniſ peſtilentiæ metus eſt injectus, eſt ſuſpicio quibusdam injecta eſſet; quoad aliis ſuper alios ſenſim contabescentibus, Scintilla in flammam erupiſſe jam viſa eſt. Hic admodum R. D. Joannes Slichtenberg Archipreſbyter, ſuo civiumquæ ſuorum nomine, ut alibi innuimus (a) voto Lindam factò, vim impetumquæ mali continuo ſtitit: neque enim plures duodeviginti civium, cum paucis pluribus de vulgo fameaque gente (cui maxime inſeſtum erat malum, ſublatis ſunt, ut eo manifeſtius Dei ac Deiparæ Lindenfis beneficium eſſet: ideoque inſtitutâ ſuo tempore, publicâ omnium civium ſupplicatione celebraretur magis. Qua quidem in ſupplicatione

(a) lib. I. cap. 25.

catione non pietas duntaxat, verùm & ipse supplicantium ordo atque præclare accommodata ad regionem pompa, omnium admiratione plausuque excepta est. Principiò innoxia puerorum scholarium turba, labaris templi pro more, quasi per turmas distincta, ipsum Archipresbyterum, ceterosque de clero, anteibat: sequebatur cum Consulibus, & aliis è Magistratu, numerosum agmen civium, cui vexillum, & argentea insuper tabula, ex voto nuncupata, vel ipsâ mole spectabilis, à patriciis præferebatur: Extremum agmen constabat Virginibus, matronis, & aliis de muliebri populo; quibus itidem nigri coloris vexillum fuit præensum; ne scilicet ignorarent, sibi quoque, quantumvis imbelli populo, ad calum vi expugnandum, sub ordinibus militandum esse. Ceterùm tabella votiva beneficii memoriam hunc in modum consignatam habet. Supra ipsius civitatis expressæ Imaginem, hinc B. Virginis Iconi subscriptum: *Regina Angelorum*; hinc verò Angeli percutientis: *Cesset jam manus tua*. Denique imam tabulæ partem occupat epigramma istiusmodi: *Diva Virgini Matri votum, ob conservatam à peste civitatem Heilsbergensem Anno 1654.*

VI.

Etjam in Austria posita nobilis matrona, à peste & morte, per imploratum Deiparæ Lindenensis auxilium, crepta.

Nolo id aliis, quàm, quibus proditum est, verbis commemorare. P. Ioannes Aloysius Kühn, Gurstadii in Prussia apud Varmiam natus, sed in Pro-

M m 5

vincia

vincia Austriae Societatem Iesu ingressus, magnum
 sui desiderium, paucos ante annos de statione vicia
 decedens, omnibus reliquit. Ea fuit Viri virtus atque
 doctrina, ut vixdum sacris initiatus ad serenissima
 Imperatricis Eleonorae ministeria Aulae fuerit re-
 pente admotus. Is igitur literis, quas III. Non. Ian-
 nuar. Anni MDCL. Leobio, ad P. Georgium Leyet
 Collegii Resleliensis eo tempore moderatorem de-
 dit, rem, qua de agimus, hunc in modum per-
 texit: *Persona non ignobilis, ex Aula augustissima Impera-
 tricis Viduae Eleonora, decem ipsos dies, in agonia
 posita, cum morte conflictabatur; Medicis nequidquam,
 etiam preciosissimis pharmacis, proficientibus. Evo-
 cor Lincio per postam repente (à confessionibus in Au-
 la poenitenti fueram) ut animam curem, & aliquod
 solatium adferam. Nec sensus, nec ratio, nec vi lo-
 quendi fuit amplius. Invoco Deiparam Auxiliatricem
 Lindensem, quae in articulo illo, mihi prima tunc incidit.
 Medicis omnibus visum miraculum; oculis me advocat a-
 grotans, post dimidiam circiter horam, nomen IESU &
 MARIAE pronuntiat; animi contriti signa edit; post in-
 tervallum loquitur; oleo sacro peruncta Viaticum expetit.
 In horas propè singulas virium experta incrementum, post
 non multos dies è lectulo consurgit, valetudine etiamnum
 firma. Nescio, an non presentissimum DEI & DEIPARAE
 patrocinium, nos, qui nobili huic persona adstir-
 mus, simus experti. Nam deprehensum est, pio zelo
 & charitate eam quinque noctibus, clam quidam è Gy-
 necaeofamula, domi suae pestiferà lue (qua etiam extin-
 ctà fuit) laboranti adstitisse: atque Sacerdote domum*

post

post datum Viaticum revertente, partes egisse boni Christi-
 tiani, animando & hortando ad pium agonem. Hinc vi-
 vularis, quia carbunculum (quem ulcus vulgare puta-
 bit) pia Matrona lingua sua deterfit, ut mihi aliquid su-
 pianti deinde fassa est) ne tergendo panniculis do-
 lorem inferret. Et diva Virgo mihi indidit, ut medicum
 monerem, de similibus pharmacis prescribendu, quæ ve-
 nerunt à corde depellerent. Hoc ad primum ingressum
 suasi: nihil tamen profecissemus iudicio omnium, nisi salu-
 tum Diva Lindensis deposita propinasset.

VII.

Domus tota à peste per B. V. Lindensem
 exempta.

Anno MDCLIV. ad III. Cal. Iunias, Catharina
 Eitmanni Keyser, in Drewantz municipii Meelfac-
 centis pago sculteti uxor, suo suorumque nomine
 votum & gratias Lindæ persolvit. Lues ex dysen-
 teria orta nonnullos jam sustulerat, ita ut ædes illius,
 ne malum serperet, observarentur. Obseratis tamen
 ædibus perpererunt Lindam usque piæ preces; qui-
 bus etiam Dei Mater annuit, & omnes, quanquam
 peste infectis miscerentur, incolumes servavit.

CAPUT XXXIV.

Etiam pecora à lue, vel aliis periculis ope B. V. Lin-
 densis servata.

NE quis fortasse, alieno prorsù à Pauli A post. men-
 te, dicat, sensu: Nunquid de bobus cura est Deo? Ipsa
 quoque

quoque Dei Mater, minimè à sua dignitate alienum duxit, boves, ceteraque hominum pecora, quod & apud Lindam suam facit curare. Neq; enim vile potest, et jam circa vilissima, ministerium, quod hominibus, si fortunâ aut potius industriâ suâ, uti sciant, in obsequium magni Dei cedit.

I.

Civis Gutstadiensis ob servatum pecus gratias agit.

Anno MDCXLI ad VIII Idus Sept. honesta matrona, Petri Prang, civis Gutstadiensis uxor, votum Divæ paræ Lindensi adjectâ, ut par erat, gratiarum actione solvit. Magnam in pecore aliquamdiu calamitatem experta fuerat. alio subitâ morte sublato; alio, si forte mors abfuisset, morbis consumpto. In ea calamitate nullum certius subsidium, quàm apud Divâ Lindensem occurrit querendum. Quocirca votum eò peregrinandi nuncupatum est; & ab eo voto sanitas pecori ex templò reddita.

II.

Plurium pecori sanitas restituta.

Anno MDCXLIV. ad XVI. Cal. Iunias multi ex Allensteinensi municipio affuerunt; & quas poterant, Divæ Lindensi gratias ac vota reddiderunt. Multa nimirum per eam tempestatem in pecora lues redundaverat; & ut malum malo feritur, corruptis & assumptis hinc inde pecoribus, operas quoq; agricolarum, quin & aliorum, vel absumperat, vel certis

corruerat. Tantis igitur malis, & frænandæ in primis lue indies magis grassanti, nullum opportunius remedium vitum, quàm apud Divam Lindensem. Ad eam proinde supplices, sua per vota recurrunt; & cum vota piè fuissent exaudita, luesque sedata, ipsi quoque beneficii memores ac grati, Lindam uti diximus, accurrerunt.

III.

Civis Meelsaccensis votum ob servata pecora exolvit.

Eodem anno, quamvis non eodem ex loco, eadem tamen de causa, gratiæ Lindensi Divæ, qua decebat, reverentiâ ac pietate sunt redditæ. Non uno quippe in loco, per eam anni tempestatem lues in pecora delibebat. Itaque cum etiam Meelsacci vires sumpsisset, & cuidam civium, non pauca, pro ejustenitate, pecorum capita sustulisset, adhibendum malo remedium censuit. Cæterùm animo in diversa acto, nusquam præsentius remedium quæri posse advertit, quàm à Linda Mariana. Et verò quærit suppliciter, edito confestim peregrinationis Lindensis voto. Habuerunt pondus vota precantis; qui impetratâ pecorifanitate, nihil prius antiquiusvè habuit, quàm ut votum redderet. Reddidit pridie Nonas Junias ejusdem, uti diximus, MD CXLIV. anni.

IV.

Equi partim à lue grassante, partim à militum rapinis, per B. V. Lindentem servati.

Loterberg Meelsaccensis coloniarum pagus est; in quo

quo duobus colonis magna in equis, quæ imminebat, clades præsidio Divæ Lindenſis depulſa eſt. Alterius jumenta, lues, quæ paſſim glifebat, invalerat; & jam partem erat depaſta; cum ille (neque enim aliud malo remedium validius fore ſperabat) Deiparæ Lindenſi ſupplex accidit, & ſi exauditus foret, peregrinationem ad Lindam Marianam vovit. Exauditus eſt; proinde ad ix. Cal. Junias, Anni MDCLII. quo primùm licuit tempore, ut votum redderet, Lindam acceſſit. Iam verò alter, cujus pecora luem evaſerant, ideoque à cæterorum planetarum injuriis libera jam erant, ut à Martis quoque, non tam influxu, quam attractu rapacitateque libera eſſent, quid non tentavit? Graſſabantur tum, pro ſua licentia, milites, & cum cæteris colonorum opibus, tum maximè equis piceas admovebant manus. Quod cum colonorum quidam non neſciet, quidquid equorum generoſioris habebat ſtirpis (ut certe Varmienses inter reliquos Prutenos, inter Varmienses verò, facile equis cæterisq; opibus Meelfacenses coloni excellunt) tutiore collocaturus loco, ad Virum nobilem in vicina Ducatus provinciâ deduxit. Et poterat ſecurus de loco, collocatiſq; eo loco jumentis eſſe, niſi invidia illuc quoq; perripſiſſet, aut militibus ad irrumpendum, patefeciffet aditum. Reliquorum enim colonorum non nulli, quibus fortè reſuæ ac jumenta derepta erant, ut vicinum ſuum in eandem ſecū navim compingerent, militibus, tanquā harpyjis ad omnia intentis, equos alio traductos prodiderunt. Ergo ad objectam ſeſe accingunt prædam, quin & momento provolant. Interea colonus rerū

equo-

quorumq; satagens fuorum, omne in Diva Lindensi
 praesidium spemq; collocat. Neq; verò spe excidit:
 Quantumvis enim harpyja illæ omnia pervolita-
 rent, ac pervolitando scrutarentur, equos tamen re-
 perire non potuerunt. Vnde colonus beneficii acce-
 pit memor, grates dictâ die apud Lindam Virgini
 Deiparae persolvit.

V.

Deposito jamequo, sanitas restituta.

Tertium jam diem Urbani Benig Meelsaccensis
 inquilini equus, morbo planè extremo conficieba-
 tur, desperatâ illius sanitate, iterum atq; iterum in
 apertos propelleretur campos, à vibus canibus que
 furus præda. In circum continuò agebatur, capitis
 hinc dubiâ vertigine impulsus, & hinc fortasse ob
 inquietum belluæ motum, feris à vibus necdum ac-
 cellus patere ad lanienam potuit. Tertiâ die herum
 miseratio belluæ sic agitata cepit, ut ad motâ jubæ
 manu retro in gyrum aliquoties circumegerit. Ve-
 rum bellua ad ingenium gyrumque priorem rediit.
 Tum Urbanus animo commotus in genua provol-
 vitur; Dominicanque orationem precatus, votum
 adjicit, ac si equus convaluisset, Lindam ab se ducen-
 dum promittit. Momento equus ad se rediit, &
 recto tramite cursum agens, omni deinceps
 morbo liber VIII. Idus Junii Anni MDCLIV. Lin-
 dam cum gratiarum actione ab hero deductus
 est.

VI.

VII.

Ob depulsam à pecore luem, gratiæ nomine
pagi totius B. Virgini Lindensi
actæ.

Eodem anno, mense Augusto ad VII. Iduum, uni-
versi pagi Lienthal, Meelsaccensis, ni fallor, muni-
cipii, nomine Martinus Newman, cū adjuncta vici-
norum manu, gratias Deiparæ acturus Lindamac-
cessit. Octiduum integrum sæva in pecora lues gra-
fabatur; ut passim, etiam integra ac sana pecoris co-
pita, repente corruerent ac morerentur. Non ignari
beneficiorum Lindensium coloni voto se Deiparæ
obstringunt; & exinde pecori suo salutem reddunt:
nullum enim deinceps aut morte sublatum, aut
morbo tentatum. Die proinde jam dictâ, quater
è cera candelas, crassitie ac magnitudine eminentes
per Virgines, quæ matronis mixtæ frequentes ad-
rant, deportari Lindam, & Deiparæ in gratiarum
actionem, dicari curarunt.

VIII.

Equis sanitas, aut vires redditæ.

Sub idem fere tempus, admodum R. D. Georgius
Joannes Castnerus, aliquod suæ in rem catholicam
Deiparæque Virginis cultum observantiæ, vel potius
Marianæ in se benignitatis argumētū sensit. Is triginta
ta circiter ante annos, cū in Regiomonti, totoque ad-
Prussiarum Ducatu, I. C. & causarum advocatum agere
facileque; ceteros, qua dicendi vi, quâ dexteritate agen-
di superaret, præter omnium spem, deserta Lutina
Sæcū

lectâ, ad Ecclesiæ se catholicæ sinum recepit; ex-
 atis que non paucis inde annis, defunctâ conjuge in
 Presbyterum consecratus, rem catholicam, majore
 propè vi atque constantiâ, quàm vel ratio tempo-
 rum, vel nonnullietjam amicorum permetterent, con-
 tractarios promovit; non sine insigni erga Deipar-
 am Lindensem demonstrata semper pietate. Nul-
 lam enim aut tempus aut occasionem fere elabi sibi
 paritur, quin Lindam revisat; & quoad quidem tem-
 poris ratio fert, ad Aiam faciat. Hujus fortasse in
 Deiparam Lindensem pietatis aliquem fructum nu-
 per tulit. Reffelium enim gravibus in negotiis dela-
 tur, equum præter spem, gravi correptum morbo, è
 quadrigis suis vidit. Moram nullam negotium patie-
 batur: sed neque morbus jumentum patiebatur vel tan-
 tillum itineris capeßere. Quid in eo rerum articulo
 ageret? supplex Divæ Lindenfi votum concipit, & ju-
 mentum commendat. Extemplo jumentum conva-
 lit; ut eadem fere horâ prosequeretur iter. Cujus be-
 neficii anathema, insignem è cera candelam (cui, ut
 nemo beneficium non adverteret, Equi appendit ef-
 figiem) Lindenfi Divæ consecratam misit. Cæterùm
 ego hoc ipso loco, magnam ingrati animi notam in-
 currerem, nisi par omnino beneficium, quod proxi-
 mo itinere à Deipara Lindenfi expertus mihi omni-
 no videor, prodidero. Bellorum turbine in Regnum
 Poloniæ undique detonante, ne Prussia quidem, in-
 ter ultimas Regni ad Balticum provincias, immu-
 nis ab eo potuit esse: è qua Prid. Non Septemb. di-
 gressus, dum Silesiam Austriam que versùs iter medi-
 tor, in hostes, qui primùm Varlaviam, deinde verò

N n

& Cra-

& Cracoviam occupârunt, propè incautus incurro. Flectendum proinde non modò ad latus, verùm aliquoties etjam retro iter erat, & non modò Masovia ac Polonia, verùm & Podlachia primùm, deinde verò & Hungaria, quod non sperâram, adeunda Necdum medium itineris confeceram, cùm jumentum, curriculo junctum, prorsum defecit. Sive magnitudo difficultasque itineris, sive virium imbecillitas, aut etjam morbus aliquis causa fuerit, incertum est. Qui mihi Lublino comeserat itineris, P. Christophorus Schenck, cùm prostratis omnino viribus cespitare aut labare jumentum per aliquot dies cerneret, idem tidem author fuit; ut, si prosequi cæptum iter vellem, aliud jumentum emerem. Jam & mihi animus inclinabat, cùm beneficiorum Deiparæ Lindensis memoria ad meliorem me spem erexit; ut non dubitarem verbis quoque eam erga Dei parentem fiduciam datâ occasione contestari. Non est necesse reliqua, quæ tunc apud me statueram, producere: illud sanctè profiteor, ab eo tempore vires jumento rediisse, ut & magnam Poloniæ, & majorem Hungariæ partem, non æquo duntaxat, verùm & eximio, cum cæterorum jumentis passu, non sine mea aliorumque admiratione, Viennam usque me deportârît.

IX.

Etjam hæretica, & nobilis in Ducatu Prussiæ matrona, voto Lindam factò, luem à pecore depulit.

Rem, uti in commentariolum à P. Jacobo Barseio fuit relata, verbis iisdem reddam. Szviens inter pecor,

rora lues, nobilem quandam in Ducatu Prussie
 miam invaserat: in qua non paucis jam extinctis pe-
 coribus, cæterorum interitum in dies expectabat au-
 ta Domina. Quæ ubi nota sibi remedia irritò conatu
 contubuisse, vidit humana ad averrendum malum
 nullius esse momenti præsidia. Multùm itaque affli-
 cta, ad Deiparæ Lindensis, de qua plurima jam inau-
 dierat, opem confugit, & tres illi ceræ libras offeren-
 das spondet. Haud inani spe: siquidem & lues cessa-
 vit, & pecus jam infectum, salvum & incolume
 evasit. Quare ceram in formam bovis figuratam, per
 fidem sibi saminam (quæ hoc de Domina sua, fre-
 quenti concione interrogata, bonâ fide attestata est)
 votiva transmisit Anno MDCXXXII.

CAPUT XXXV.

Steriles & parturientes, à B.V. Lindensi adjutæ.

Præsens mortalium vita, sui ubique similis, diffici-
 les perinde aditus atque exitus habet; ut non mi-
 nora fere nascentem, quàm morientem pericula ho-
 minem excipiant. Neque verò ea pericula solis aut
 paribus imminent, aut prolibus: ipsas per sæpe ma-
 tris involvunt, ut dum parturiunt aut pariunt, modò
 ferui, modò sibi, interdum utrisque mortem pari-
 unt. Tanto versantes in periculo matres, non potest
 Dei Mater negligere; si præsertim ad suam quoque
 Lindam, auxilii causâ se recipiant.

I.

Nobilis matrona à partu & gravi lapsu, opem B. V. Lindensis experta singularem.

Necdum partus advenerat tempus, prægnanti Nobilis in Masovia viri, Adami Raysky, in Telonio Prasnienfi Notarii, conjugii; cum fortuito calu gradibus prolapsa & graviter eo lapsu concussa est. Acceleravit is calus pariendi necessitatem, ut abortiens immaturum effunderet fetum. Sed, & animam unà propè effuderat: biennio certè integro, ætæ animam ex eo morbo trahens, summo verlabatur discrimine; quoad voto ad B. V. Lindensem facto convalescere extemplo cepit: & paulò post, integram sibi restituta, ad XVI. Cal. Septemb. Anni MDCXXII. Lindam unà cum marito, & parvo filio Alberto (cujus etiam ope B. Virginis sanari alio loco hujus libri meminimus) Lindam venit, redditaque tum sibi tum filio sanitatis, argenteam tabellam perenni monumentum Deiparæ dicavit. Quæ que madrona sunt memorata, P. Matthias Lesky Societatis Jesu Kesselii tum moderator, in commentariis retulit, & maritus ipse manu suâ hunc in modum subscripsit; *Adamus Raysky, Notarius Telonienfiensis nobilis.*

II.

Matrona Gutstadiensis, auxilio B. Virginis, periculo solo partu soluta.

Anno MDCXXXVII. ad VI. Non Jul. Christophori

Steffen, civis Gultadiensis uxor, eò quòd difficil-
 imo ac periculoso partu, per Deiparam Lindensem
 expedita fuisset, quas debuit, gratias ac vota depen-
 dit. Messè fortasse in campis promotura, parum
 absuit, quin ipsamet libitinæ messis fieret. Præter
 spem, acceleravêre parturientium dolores; lique, à
 mortuo intra uterum fetu, supra quàm dici potest,
 auctiores ac vehementiores. Sola in agro erat, ut nul-
 lus vel Levana, vel Lucina, vel etjam obstetricis au-
 xilium præstò esse posset. Tanto in discrimine posi-
 ta, Levanam experta est Lindensem divam; ad quam
 ubi verbis, aut tacitis potius animi votis sese vertit,
 effuso repente mortuo fetu, & periculo omni & do-
 loribus exempta est.

III.

Difficillimus partus, per B. Virginem Lindensem
 citra periculum expeditus.

Non quidem Rebecca, sed Anna erat Wormdi-
 tensis civis, Matthæi Siwert uxor; Rebecca tamen
 sortem, aut potius in partu pericula erat consecuta.
 Quod de Rebecca (a) memoratur, iam tempus pari-
 endi advenerat, & ecce gemini in utero eius reperti sunt,
 memorari etjam de Anna potest; nam & hæc gemi-
 norum partu laborabat. Ac priorem quidem pro-
 lem satis feliciter enixa est; cum altera verò, ad mor-
 tem propè luctandum usque fuit: mortuus quippe
 fetus, quin & transversim intra uterum situs, exitum
 sibi, matri verò spem vitæ præcludebat. A pomeri-
 dianis horis ad multam noctem parturiendi conatus
 sum-

N n 3

(a) Gen. 25.

summuserat, incredibili cum dolore, ac eventu nullo. Conclamatis jam undique rebus, matrona quædam, parturienti admodum familiaris, miseræ sortem atque cruciatum miserata, extra domum se proripit, & sub dio, ad B. V. Lindensem, quâ potest anxi contentione, votum pro insolunitate periclitantis concipit. Eodem ipso tempore partus, majore vi quàm humanâ vi, contractis lateribus, ac manibus supra caput protensus, utero effusus, vitam, quam habere ipse non poterat, matri restituit. Quæ tanti haud ingrata beneficii, ad IV. Idus Sept. Anno MDCL. Lindam veniens, Deiparæ tanquam vetæ Lucinæ, quæ sibi lucem utique restituisset, ingentes ex animo gratias egit.

IV.

Triduum parturiens, partu feliciter soluta,

Uxori Domini N. Schuhknecht, civis inter Brunsbergenses facillè primarii, tempus pariendi advenerat; advenerant unâ & parturientium dolores, sed non item pariendi facultas, ne dicam felicitas. Triduum pariendi cruciatibus exercita, nullum edere partum poterat. Aderant ita laboranti adjutores, pro more fæminæ, sed præter commiserationem & muliebres planctus, nihil afferebant opis. Omnesque consilii inopes, spe, præsidiiisque humanis planctibus collantibus ad divinam vertuntur opem flagitantem. Neque verò facilius tum flagitandi tum impetrandi via occurrit; quam per Divam Lindensem Puerpera ipsa, unaque ejusdem conjux si DEIPARA partum levâisset, tantum ceræ Lindam dedicantem vota

voto adjecto sanctè appromittunt, quantum infans nasciturus, ad libram exactè appensus ipso designâset pondere. Inerat pondus votis; momento partu mulier soluta, paulò post votum solutura, nudis pedibus, comitante marito, & prolem natam & promissam ceræ pondus Lindam, cum adjecta gratiarum actione & argentea votiva tabella (cui inscriptum Anna Schühknechtsche) detulit. Anno MDCLIV. pridie Idus Septemb.

V.

Puerpera periculoso morbo levata.

Rarum quidem est, at non minus noxium, quod fit in partu naufragium. Gravidæ ferè matres, ubi post tot fastidia mensium, partu solvuntur, quasi in portu, deportatas longâ jactatione merces, exponunt. Evenit tamen non rarò, ut, vel in portu naufragium faciant, quando vitam, quam filiis in lucem editis dederunt, ipsæ amittunt; vel gravissimè periclitentur, quando variis à partu morbis involvuntur. Involuta fuit Elisabeth Alexandri Schaw apud Birsteinenses viri consularis uxor; quæ à partu in ardentissimam primùm febrem, deinde verò etiam in phrenitidem est devoluta. Ita jactationem corporis, animi excepit jactatio; in qua tamen pia mulieris Christianæ mens, precium operæ, hoc est, fructum, ad quam assueverat, pietatis tulit. Quæ enim sanâ aliàs mente agitaverat, emotæ etiam menti occurfavêre: & quæ aliàs ad Divam Lindensem revivendam promptissimis semper animis desideriiisque æstuebat, in phrenesi illa non destitit ingeminare.

O si liceret, vel semel invisere adhuc Deiparam Lindensem. Hoc animi piissimi æstu, febrilis æstus abactus est; & cum ægra ad mentem quoque rediisset, votum paulò antè factum confirmavit; confirmataque auxilio Deiparæ valetudine, Lindam gratias actura Anno MDCLV. ad IV. Non. Februarias adiit.

VI.

Mulier nobilis, morbidos & claudos partus edere solita, B. V. Lindensis ope sanam & integram prolem enixa.

Christina Zaboklicia, quam inter nobiles decemmatronas, ab extrema fere Ukraina, ad B. V. Lindentem peregrinas jam antè recensuimus, supra commune cum aliis, singulari insuper voto apud Lindam expedita est. Geminam ante prolem admodum ægram, quin & claudam, breviq; victuram enixa erat; tertium igitur gravida, voto se Deiparæ Lindensib. obstrinxit, si salvum & integrum edidisset partum, & se, & prolem natam, eidem se Divæ, cum adjecta gratiarum actione, coràm in ipsius Æde stitutam. Audita est; proinde filiolum, quem Deiparæ beneficio incolumem ediderat, & ad id tempus superstitem habebat, tam longinquæ peregrinationis, non tam commitem, quàm pondus assumpsit; & apud Lindam Deiparæ præsentem coràm stitit. Quin ipsa paratam se declaravit, reliquum vitæ haud procul Lindensib. de, transigere; neglecto etiam honorum, quæ in Ukraina reliquit, usu; dummodo illa filio, ubi adoleverit, manu capienda serventur.

VII. Ste

VII.

Sterilitas conjugum, ope B. V. Lindensis depulsa.

Anno MDCLII. Matthæus Eliæ civis Gutstadien-
sis, unâ cum uxore Catharina, magnano, & insigni o-
pere pictam Deiparæ Imaginem apud Lindam dedi-
cârunt. Omnes christiani populi status atque ordi-
nes, sub expanso Deiparæ pallio, proteguntur, & ad-
scriptam infra, usitatam Ecclesiæ precationem quasi
tuciti Germanico idiomate pronuntiant. *Sub tuum
presidium confugimus sancta DEI genitrix; nostras depre-
cationes ne despicias in necessitatibus; sed à periculis cunctis,
libera nos semper Virgo gloriosa & benedicta.* Causa de-
dicandæ imaginis fuit recéns à Deipara Lindensi
beneficium. Aliquot annos in conjugio, sine conjugii
fructu traduxerant; quo ut tandem, per illius suffra-
ga, potiti sunt, nullâ interpositâ morâ, tum accepti
beneficii, tum grati erga Deiparam animi, posue-
runt monumentum.

VIII.

Sterilitas agrorum per B. V. Lindensem
emendata.

Quid mi fertilitatem agris impertiat Diva Lin-
densis, quæ, uti vidimus, fertilitatem dat genicalibus,
ut vocant, arvis? Id experti non pauci agricolæ, quo-
vis anno, quasi dimensum suum, Deiparæ Lindensi
de frugibus sibi concessis offerunt; & unâ illius in se
agrosque suos benignitatem contestantur. Quos in-
ter Thomas Schwarg in Arkamp Resselienis agri

N n 5

pago

pagus colonus, Anno MDCLIV. ipsâ Natalis Deiparæ luce, lubens volensque professus est, duodenas sibi messes admodum provenisse tenues, tritico aut exiguo, aut in lolium herbasque noxias degenerante, Ad Deiparam quocirca Lindentem opis auxiliique causâ se recepit, & si exaudiretur, quovis anno Candelam ceream apud Lindam dicaturum spondit. Ex eo tempore Triticum sibi & grano purius, & proventu uberius multò esse.

CAPUT XXXVI.

A variis, & ignotis morbis, vel calamitatibus Deiparæ Lindentis auxilio liberati.

Magna est aut spes recuperandæ, aut etiam paræ recuperatæ salutis, quando vel ægro, vel saltem Medico manifesta est morbi conditio. Quo infeliciores, & periculo magis obnoxii sunt illi, qui & morbo torquentur, & quæ morbis amuleta sint admovenda, scire non possunt. Optimum in hoc quoque morborum genere, à Diva Lindensi peti solet amuleta, quod jam testabuntur exempla.

I.

Mulier diutino morbo Lindæ levata.

Anno MDCXXXVIII. diuturno & gravissimo morbo finem, apud Lindam Marianam invenit mulier, Sattoris Allensteinensis uxor. Quatuor supra viginti hebdomadas morbo illo sævissimè exercita, nusquam aut levamen, aut requiem ullam potuit invenire: unde nihil in votis ita afflictæ magis erat, quàm mors, quæ & vitæ & dolorum intolerabilium finem

finem imponeret. Interim consilio amicorum Deiparæ Lindensis præsidium implorat, & vel semivortuam deportari se Lindam orat. Ne tantillum quidem supererat vitium, ut vel accedere posset ad currum. Mani quocirca brachiis deportata, ac vehiculo imposita Lindam tandem venit; & in terram tam pro sua pietate, tum etiam præ vitium summa imbecillitate, prostrata, preces ad Deiparam fudit. Inde erecta, & ad vicinum diversorium delata, sensim vires atque ciborum appetentiam ore inque sibi redire sensit. Refecta nonnihil cibo & vehiculo imposita, prius quàm Allensteinum rediisset, advertit sibi integram, Deiparæ subsidio rediisse sanitatem. Proinde & ipsa deinceps identidem, ut grata sospitæ suæ esset, Lindam rediit; & Anno MDCXLIV. Calendis Julii omnia, quæ recensuimus, ipsamet P. Smoni Hein, qui literis deinde tradidit, ex fide perrexit.

II.

Mulier gravissimum duorum annorum morbum, voto Lindam nuncupato, feliciter depellit.

Friderici Bartsch civis Traumburgensis uxor, plus duobus annis, ad mortem usque, quam sibi frequentissimè, præ dolorum acerbitate, imprecati solita erat, ægrotabat. Sed vota impotentioris, ac planè fæminei, non sunt audita animi, ut deinceps audirentur Christiani. Paulò enim post ab amicis persuasa, ut (cum medicamenta, cæteraque præsidia humana omnia, nequidquam hætenus fuissent admo-

admo-

admota) admoveret unicum à Deipara Lindensi præsidium ; bene salubriterque monentibus paruit, & quantâ potuit fiducia atque pietate, votum Lindensis peregrinationis, si per vires licuisset, nuncupavit. Vix illud ediderat votum, cum subito vires pristinae sanitasque rediêre; ita ut paulò post, pedes iter potuerit ingredi, & septendecim omnino leucas Lindam usque pedes decurrere. Iphis Calendis Julii Anni MDCLI. Lindæ voto expedita est: & cum illi suaderetur, ut iter curru domum relegeret, sentio, inquit, me satis firmam ad remetiendum pedibus; iter, quod semel huc emensa sum.

III.

Septem annorum ægritudo, à voto Lindam factâ, confestim desit.

Anno MDCLIV. pridie Idus Julii Agnes Rozakowska, viri nobilis è Wierzboloviensi Lituanie provincia, uxor votum Lindæ solvit. Septem omnino annos gravi juxta ac ignoto est vexata morbo; nisi quod malum se tussi & ingenti viscerum convulsione non nihil proderet. Tussis porro viscerumque convulsio propè continua erat, ut neque interdium neque noctu quies miseræ esset. Non desit remedia, etiam humanis majora adhibere, præsertim à D. Virgine, quæ Zuroviciis, magna religione in Lituania colitur, & miraculis beneficiisque divinis, cuius illustrium religione locorum conferri potest. Jam sepius eò supplicabunda accesserat, sed eventu irritâ; quia id beneficium Lindensi Divæ, ut postmodum paruit,

paruit, divinitus fuit servatum. Simul enim atque votum Lindam concepit, tussis illa tam inveterata, ilico desit. Quod si interdum quandoque redit, moderatissima tamen est, & noctes omnino sine esse tranquillitas.

IV.

Vir nobilis duorum fere annorum morbo, per votum ad B. V. Lindensem expeditus.

Prodebat se vis morbi, in pedes principio, deinde in manus reliquumque corpus diffusum, apud nobilem à Bielscensi in Subsilvania municipio virum Jacobum Waszkienicz. Pedes enim cingulo tenus non languebant modò, verùm & pustulis sanguinolentis ac purulentis sædum in morem scatebant; manus vero postmodum etiam ipsæ unà cum pedibus contractæ sunt, maximo cum doloris sensu & æstu. Duas minimum hebdomadas, præ vehementia doloris insomnes exegit, ut ad extremum & corporis & mentis redderetur impotens. Amici hominem miserati, vota ipsius nomine concipiunt tum Jachnovicium & Zurovicios in Lituania; tum in Polonia, Czestochoviam & ad Calvaria, ut vocant, montem. Sed & hæc irrita erant vota. Tandem, voto, per aliquem amicorum Lindam facto, ipse insuper adjecit, si Deiparæ Lindensis beneficio revaluisset, pedibus se totum iter, quod quinquaginta propè leucarum est, nec nisi emendicato pane, ultro citroque confecturum. Confectum voto pondus fuit; & ipse manus juxta ac pedes persanatus, peregrinationem, uti voverat, Lindæ ad III. Calend. Septemb. Anni MDCCLIV. absolvit.

V. Ru-

V.

Rusticus annum fere æger, ex voto Lindensi revaluit.

Martinus Uberlender, è Schalmay Brunsbergensis agri pago, eodem anno pridie Non. Junias, peregrinus ex voto Lindæ apparuit, & Deiparæ, pro obtentio beneficio gratias supplices egit. Annum prope integrum æger, ita corpore ac viribus erat exhaustus, ut nemo illi vitam adpromittere auderet. At ille voto ad B. V. Lindensem edito, ex tempore revalescere ac vires sensim resumere cepit, ut & labori operisque consuetis, & quindecim leucarum itineri pedibus ultro citroque conficiendo par omnino esset.

VI.

Ex anathematis, & votivis ex argento tabellis, variorum & incognitorum morborum curatio æstimanda.

Quæ de ignotis, passim in commentariolos relata sunt, morbis, non sine magna cura, nec sine majore legentium fastidio, percensenda hinc essent. Quis enim citra nauseam eadem chordâ oberrantes audiat? ut cum aliquis scribit: *Margareta ægra medio anno, voto facto, Lindensem B. Virginem visitandi, convaluit Anno 1647.* Et iterum: *Gertrudis conjux rustici ex Pratten, sex septimanis ægra, voto facto convaluit.* Aut etiam: *Johannes Straus civis Bisburgensis filiulus, quatuor septimanis agrotus, voto per parentes facto convaluit.* Plurima id genus prætereunda nobis sunt; ut vel aliquid ex argenteis anathematis, quæ aliquid habent epigrammatis

(nam

nam quæ rasæ omnino sunt tabellæ, aut citra epigraphen, non nisi expressam aliquam vicunculam habent, ut alias inuimus, plures centenis sunt) possimus adji-
cere iis, quæ jã suis locis variè retulimus. Neq; verò in
recensendis iis, aut temporis aut dignitatis ordo ra-
tione observari potest: ut, quæque aliquando nobis
in manus inciderunt, ita hîc locum possidebunt.

1. Refert, Deiparæ Virginis & Pueri Jesu, supra Ti-
liam Arborem inter radios icones, cum hac inscri-
ptione: *Beatissimæ Virgini Lindensi, Bartholomæus
Kuntzius Decanus Sluchoviensis Anno 1654.*

2. Nil aliud, nisi hanc epigraphen habet: *Matthias
Rodovvidci 1653.*

3. Refert B. Virginem intra nubes sedentem; cui
subscriptum *Sancta Maria Mater DEI*, infra verò
Joannes von Dissen 1650.

4. Quartæ inscriptum: *Sancta Maria Regina cali.* infra
verò *Georgius Feieracker, Senior 1648.*

5. Et huic duntaxat inscriptum *Elisabetha Christina
Striblinskina 1654.*

6. Rychmum Germanicum hoc sensu exhibet (a)
cum literis I. K.

*Tu nos participes summorum redde bonorum,
Supremum licuit cui genuisse bonum, I. K.*

7. Huic inscriptum à tergo *Martinus Them 1653.*

8. Et huic itidem à tergo *Michaël Fischer 1645.*

9. Incendii, ni fallor tempore dicata tabella insignis
cum hac epigraphæ: *Augustissimæ calorum Regina tu-
telari; civitas Seeburgensis ex voto offert, Anno salutis
1645, die 10. Junii.* 10. Junii.

(a) Mutter der höchsten Gürtigkeit/
Erlang beym Sohn Glückseligkeit.

10. Inscriptum habet: *Monstra te esse Matrem, Funda nos in pace Mutans Eva nomen.*
11. Inscriptum itidem habet: *Christina Karvvin, Troskiana domo 1650.*
12. *Ex voto, I. T. Notarius arcis Seeburgensis Ann. 1650.*
13. Circa stemma refert literas sequentes: I. D. D. D' quas adjecto epigrammate ita exponit:
*Sincero voti Ioannes corde Tabellam,
 Dambrovv. ky Tilio Matrui in EleDit
 Oro, sinat ne me de nexa Virgo corona.
 Qua si clausus ero, iam via ad astrapam.
 Anno 1645.*
14. Nihil habet nisi intra radios IHS. MAR.
15. Refert imaginem Crucifixi, cui à dextris expressus *S. Adalbertus*; à sinistris *S. Catharina*, Anno 1632. adjectis circa stemma duabus litteris *W. W.*
16. Constat his epigrammatis: *S. MARIA O. P. M.*
 Item *D. O. M. & in H. B. V. M. Michaël Reimau dorf-
 faber Seeburgensis, cum coniuge sua Elisabetha D.
 D. Anno 1650.*
17. Huic inscriptum: *S. MARIA, ora pro nobis.*
18. Et huic: *Laurentius Merten, cum sua coniuge Dorothea: B. M. M. M. L. M. A. M. G. M. 1654. obiit 8. Septemb.*
19. Huic itidem: *Sophia Kadausche. Monstra te esse Matrem.*
*Posthuma Divipara sua vota Dorothea deseri,
 Et memores filia Kadaviana preces 1629.*
20. Similiter huic: *Sancta MARIA, Regina cali.*
21. In hac expressa Matronæ effigies, coram B. Virgine

- gine flectentis, adjecto Psalmi versu: *Vota mea reddam in conspectu Domini; in atriis domus DEI nostri, A. D. R.*
21. Circa B. Virginis effigiem scriptum: *Ave Tilia DEI Patris; Ave Mater DEI Filii; Ave Sponsa Spiritus Sancti; Ave Templum totius Trinitatis. At vero à tergo: D. O. M. Virgini MARIE immaculatæ, Georgius VVichman DD. consecratq. 1651.*
22. Ante B. Virginem, effigies Virginis inter flores genu flexæ, cum Germanica inscriptione: *Mater DEI, ora pro me. 1650.*
24. Expressa cordis figura, & miles genu flexo, cum adjectis literis A. K. 1641.
25. Resuscitatio Lazari opere faberrimo expressa.
26. Continet hanc inscriptionem: *D. O. M. M. V. M. Iacobus à Nenchen, ac Anna VVichmaniana, hanc effigiem obrulerunt.*
27. Epigraphen itidem sequentem habet: *Quasi Cedrus exaltata sum in Libano. In honorem B. V. M. dedit Andreas Ludig Seeburgensis Capellanus, olim Kirittensis 1634.*
28. Virginis flectentis species, & circa stemma literæ A. N. Z. B.
29. Coram B. Virginis imagine subscriptum *Andreas Eckel, Regina Eckelin.*
30. Inscriptio sola: *Sancta MARIA, ora pro nobis.*
31. Intra expressam cordis effigiem scriptum: *Cor mundum, crea in me DEUS Anno 1647.*
32. Coram fusili B. Virginis, super laminam, imagine, *Agnes Lettavin 1633.*
33. Epigraphen solam habet *Vladislaus Gustavus, studiosus S. Bennonis 1645.*

34. Et hæc similiter: S. MARIA, *Ioan. Schroter 1636.*
35. Et hæc *Ioannes VValiszewsky 1637.*
36. Speciem refert Poloni coram B. V. Rectoria cum literis M. P.
37. Sub Nomine IHS subscriptum: *Pro agra, Anno 1643.*
38. Inscriptū habet *Matthaus Puschman, Prisca 1641.*
39. Et hæc: MARIA, Mater DEI, *Regina cali.*
40. Item hæc, *Elisabeth Stobbin 1652.*
41. Et hæc, *Ioannes Kunig, ejusq. conjux Iustina H. D. R. Z. E. G. V. D. A. M. G. M. L. Anno 1650.*
42. In lamina deaurata exhibet effigiem B. Virginis sine ulla epigraphe: à tergo tamen atramento inscriptum nomen illustrissimi Palatini *Maria burgensis Jacobi VVeiheri. Credo ante annos circiter duodecim, quando unā cum illustissima sua conjugē Schaffgotschiana, B. Virginis Lindensi coram se supplicem stitit, dicatā esse.*
42. Continet imagines S. Valentini, & S. Regine, cum subiecto nomine, *Valentini Roszinsky 1654.*
43. Refert JESU & MARIÆ nomina: IHS. MARIÆ. A. Z.
44. Inscriptionem habet: D. O. M. in honorem B. V. M. *Matthias Kalozinsky fieri curavit 1653.*
45. Similiter & hæc Germanicè: Mater DEI, *pro nobis, Paulus Kusch Anno 1654.*
46. Et hæc: *Sub tuum præsidium confugimus sancte DEI Genitrix 1654.*
47. Item hæc, juxta nomen IHS Ex voto, DEO, *hæc MARIA Virgini, Bartholomæus Fischer Anno 1648. obtulit.*

48. & 49. Utraque ejusdem voto dicata. Et alteri quidem inscriptum: I. F. C. F. F. C. Anno 1654. alteri verò, Joannes Fester V. F. F. C. 1652. utraque à R. D. Joanne Fester primùm Vicario, deinde verò Commendario, ut vocant, Freidenbergenfi dicata.

49. B. Virginis Imagini fusili, fusiles itidem Angeli diadema utrinq; imponunt. Infra subscriptum: Ora pro nobis, sancta DEI Genitrix, ut digni efficiamur promissionibus Christi. At verò à tergo: Hæc curavit fieri ad maiorem DEI gloriam, & beatissima Virginis MARIÆ, Petrus Kruger Consul Meel-saccensis Anno 1646.

50. Huic inscriptum Andreas Pilchovicz Heres in Vvilken, ex voto effigiem hanc B. V. M. offert, dedicatque Anno 1652. die 2. Februar.

51. Huic verò, Ioannes Berg nobilis Livo, B. M. V. Lindensi, Patrona sua ex voto 1633. Hujus voti causam ipsemet, Anno 1655. die 24. Aug. cum Gedano ad Raygrodensem præfecturam, quam possidet, iturus Lindam invileret, ajebat fuisse, suam è Livonia à Suecis possessa exilium. Secesserat enim in Germaniam; ex qua militaribus auctus honoribus, dum in Moschoviam Uladislauum IV. Regem comitatur, ex ipsis Moscoviæ finibus, per P. Christophorum Zalesky, Orsenfis Collegii S. I. Rectorem, votivam hanc tabellam fieri, & Lindam mitti curavit.

52. Hujus inscriptio est: Spectabilis Dominus Clemens Bucholiz Proconsul Seeburgensis, cum Vrsula conjugæ suæ fieri fecit, Anno 1648. die 5. Julii.

004

53. Re-

53. Refert cor deauratum crucem que cordi quasi
inserram cum adjunctis literis C.M.
54. Inscribitur : *Votum B. V. M. à me D. A. S. Anno*
1642.
55. Itidem inscribitur *Henricus Delin, Anno 1625. die*
8. Maij.
56. Similiter inscribitur : *Si Deus pro nobis, qui con-*
tra nos, Simon Nenchén.
57. Solum nomen inscriptum *Anna Maria Comyze.*
58. Solum itidem nomen *Georgius Meyer (A) Episcop-*
piarius Varsaviens. 1648.
59. Crucifixi effigiem, cum B Virgine, & S Joanne
ad latera adstantibus refert, quibus subscripam
epigramma:
Vrit Amor, Jesu Virgo, Patrone Ioannes,
Vt sacro dives munus amore feram.
Tres vos, unus ego; vos Vnio; munere fiat
Vnius triplex vester ut unus Amor.
Deinde adjectum *Ioannes Lamsheipt, Canonicus*
Gutstadiensis Oeconomus Episcopatus Varmien-
Anno 1642.
60. Continet hanc epigraphen : *Tamatus Iacob*
VValcker, civis Seeburgensis, cum Domina sua con-
iuge Anna; in honorem B. V. M. fieri curaverus An-
no 1648.
61. Similiter inscriptum habet linguâ Polonicâ (b)
Terentianus Zochovvsky, Tribunus Ciechanovvsky
1650.
62. Et hæc : *S. MARIA, ora pro nobis; S. Casimire, orate*
pro nobis

(a) Hoff. Sattler in Warschau. (b) Ziemk
chovvsky VVoysky Ciechanovvsky.

nobis. Jam vero à tergo, *Ertmudis Dromlerin*, ge-
bohrne *Wormitz* Anno 1648.

65. Similiter hæc: *S. Maria, ora pro nobis, Laurentius,*
& *Margarita Klein* 1653.

66. Circa stemma: *E.P. à N. ex voto discedendo Ro-*
man *H. E. & H.*

67. Item alia ejusdem: *E.P. N. V. C. G. C. S. R. M. S.* Est
autem utraque dicata ab *Eustachio Placido*
Nenchen, primùm quidem *Secretario Regio*,
deinde verò *Canon. Varmiente*.

68. Solam hanc inscriptionem habet: *In honorem*
DEI omnipotentis, & B. MARIE Virginis, nobilis
Jacobus Zagorny, heres in VVorayn, hanc Tabulam
fieri F. Anno 1652.

69. Refert effigiem *B. V. Lauretanæ*, sermo inclusæ,
Angelis flares deluper spargentibus, adjectis
literis *A. H.*

70. Constat hæc epigraphæ: *Salve parve Puer; salve*
virguncula Mater, Heribertus Ioannes Schnetla
Anno 1638.

71. Sub nomine *Jesu*, habet inscriptionem hanc:
Georgius Eisenletter civis Brunsbergensis 1645.
Retulit autem decimo inde anno, *Monumen-*
tum hoc ab se positum ob depulsam ope B.
Virginis febrim, qua plus trimestri conflictaba-
tur.

72. Inscriptura habet *Anna Maria, gebohrne Stanis-*
lavvsk 1649.

73. Refert *Nativitatem Domini*, cum lemmate:
Gloria in excelsis DEO.

74. Germanicè inscriptum: *S. MARIA, ora pro no-*
bis.

73. Exhibet fusiles, super laminam, Crucifixi & B. Virginis ac S. Joannis imagines cum epigrapha: *Ad M. D. G. & augustissima Virgini honorem. Rejice Virgo, vide hoc Amoris pignus, humilemque debita servitutis testem. Hum. Cliens tuus H. I. Hennig 1639.*
74. Sub imaginibus B. Virginis, S. Annæ, & Domini Jesu in medio stantis scriptum *Clara Sternssohnische 1650.*
75. Germanicè subscriptum: *Ad honorem sanctissime Matris DEI, Gregorius Basner, & Georgius Althoff, uterq; civis Seeburgensis fieri fecerunt, Anno 1647.*
76. Inscribitur *Anna Leibin 1652.*
77. Et huic inscribitur: *Vovit B. Virgini Ioannes Hirc Heres in Ramsau Anno 1652.*
78. Et huic, *Andreas Kludik.*
79. Similiter & huic, *Georgius Sobedin 1647.*
80. Itidem huic *Me. Pracillofsky.*
81. Et huic: *In honorem B. M. V. fieri fecit Fridericus Montau, piè defunctus Notarius Seeburgensis 1647.*
82. Refert imagines B. Virginis cum puerulo Jesu, & sanctæ Elisabethæ cum S. Joann. Baptista itidem puerulo, additâ epigrapha: *O quam pura chra est casta generatio cum claritate! Immortalia est memoria illius, quia apud DEUM nota est, & quod homines. Sap. 4.*
83. Juxta B. Virginis effigiem continet S. Ignatium flexentem cum inscripto nomine, *Ioanne Nisvrand D. D. 1648.*
84. Ex utraque refert sculptas effigies; & in altera quidem Germanicè scriptum: *Ave sanctissima*

DEI Genitrix; Ora pro nobis Dominum, Amen. 1653.

In altera verò: *Sancta Maria, ora pro nobis.*

85. Habet fusilem pedem sibi appentum, cum inscriptione *Anna Bruchmannin.*

86. Solam habet epigraphen hanc, Anno 1626. die 4. Julii *Anna Schutzen.*

87. Refert imaginem B. Virginis cum puero Jesu in Ægyptum fugientis, addito nomine, *Margaritha VVeissin 1651.*

88. Inscriptum habet: *SANCTA MARIA maior; à tergo verò, Gertrudis Hanmansche Anno 1651.*

89. Sub B. Virginis effigie, *Laurentius Ballinsky.*

90. Epigraphen hujusmodi continet: *Regina Michaelis Elert filia, ex voto obtulit, B. V. Lundenfi Anno 1648.*

91. Solam inscriptionem habet, *Fridericus Kodz-borsky 1652.*

92. Refert effigiem manus, cum addita inscriptione *Ioannes Lemke, Anno 1654.*

93. Inscriptum habet Germanicè *Ioannis Trabanten uxor Anno 1651. H. D. M. L. id est, curavit hoc fieri.*

Atque hæ sunt votivæ Tabellæ argenteæ, quæ ab aliqua sui epigraphæ distingui, atque hîc consignari potuerunt; præter quas plurimæ aliæ sunt, quæ vel nullam omnino aut effigiem aut inscriptionem habent, ideoque referri huc non potuerunt, vel, si habent, jam suis locis à nobis commemoratæ explicatæque sunt, vel deinceps hoc & sequente libro commemorabuntur.

CAPUT XXXVII.

A morte, vel præfente mortis periculo, B. Virginis Lindenſis
auxilio crepti.

TRes sorores veteribus fuerunt, vitæ mortisque
arbitræ; quippe stamina vitæ aut producer, aut
præsecare potius fangebantur. Verè Parcæ, & nomi-
ne & re; quia inexorabiles, præsertim ubi vitæ stia
præsecuissent semel. Una nobis, Dæi Mater & Virgo
est, quæ etjam abrupta, si fabulis locus aliquis est, per
Parcas, vitæ stamina restaurat; ideoque & Mater miſe-
ricordia, & vita atque dulcedo, spesq; nostra, Eccleſiæ
ipſius ſuffragio audit. Numquid & apud Lindenſem
ſuam id ſibi operæ ſumit? Ego quidem non dubitavi
etjam hîc uſurpare, id, quod de B. Virgine Eccleſiæ
Græca univerſim in Menæis canit, aſſerens eam mor-
tuorum quoque Matrem, quæ reſurrexerunt mor-
tuis peperiffet. Sic enim Deiparam appellat (a) *Με-
ριμύλοισι γούστω με ἐκκρίνω: Πλάνη δὲ τῆς, ὅτι ἡ ἄνθρωπος
ὄντων, vitam mihi reddidit. Partus enim tuus est Reſurrexerunt
ἔθιο mortuorum, captivorum libertas, erectio iacentium.*

I.

Puella tecto domus obruta, ad vitam, per B.
Lindenſem revocata.

Domos ac tecta, ſervandæ ac fovendæ vitæ cau-
ſæ ſunt.

(a) ἡ πικρὰ με τῆ ξύλα γεῦσις ἐνέκρωσε. τὰ τεχ-
νικὰ ἐκ σκκορη, φυλὸν ἐζώωσε. τόκος γὰρ ὁ σὸς, τῶν νεκρῶν ἐπι-
νάσσει, λύσις αἰχμαλώτων, ἀνόρθωσις κειμένων.

sã struunt mortales ; quibus tamen non rarò mors pro Tumulo uti solet. Conata est id Allensteini, percussissetque; nisi præsidium Deiparæ Lindensis intercessisset. Gertrudis erat puella Joannis Kirsten & Gertrudis conjugum filia; quam mors domi, ipsa domo pro armis usa oppressit. Incertum, quo casu rectum domus corruit, & tignis lignisque cæteris, puellam oppressit. Magno parentum aliorumque molimine, nec minore dolore, inter tigna ac rudera reperta; atque inde exanimis, per fracto brachio, totoque corpore miserè afflicto extracta est. Non potuit aliter cum à cæteris, tum à parentibus, quam pro mortua haberi ac tractari: quod & mater deinceps apud Lindam est restata: sed & viscera parentum non poterant, tam acerbo spectaculo, non commoveri quam maximè. Ubi ad se non nihil rediêre, ex illa tristitiæ dolorumque nube, ad eos, qui à Linda Mariana, beneficiorum divinorum in omnes se effundunt, radios respiciunt, & DEI Matri, exanimem filiam commendant, adjecto usurpandæ apud Lindam, tum penitentia, tum eucharistiæ voto, neque votum eventum caruit. Benignissima quippe DEI Mater, hinc se & vitam, & dulcedinem exhibuit, reddito puellæ defunctæ spiritu; quo per venas ultro citroque committente, membris omnibus vigor suus viresque rediêre. Sanam igitur atque incolumem filiam parentes, Anno MDCXXXVIII. ad IX. Calend. Jun. Lindæ servatrici suæ coram stitêre, votoque, quod nancupâcant, titè sunt defuncti.

II.

Inter perpetuas liberorum mortes, filiulus præsidio
B. Virginis, per visum parentibus indicato,
servatus.

Non incommodè locum hîc illud Prophetae (a) sibi vendicet: *Quomodo si eruat pastor de ore leonis duo crura, aut extremum auricula.* Leonis instar grassabatur mors in liberos Ertmanni Wein civis Guldadiensis opificio rotificis. Jam quinos rapuerat, conuenis funeribus elatos; jam & sexto imminebat; rapuissetque, nisi Deipara Lindensis tanquam extremum auricula de ore leonis, eruisset. Jam enim & hic morbo implicitus, adeoque moriturus certè erat, nisi Deipara morti eripuisset. Quadrimus vixdum erat, cum parens (ut in commentariolo Patris Simons Heint scriptum reperio) Anno MDCXXXVIII. ad VI. Nonas Julias, illum apud Lindam circum Altare gestavit, ac dixit mortuos sibi quinque iam liberos isto maiore cumq; vereretur etiam hunc ultimum moriturum, per visionem monitus est, votum ut faceret ad Divam Virginem Lindensem, & Tabellam per puerulum offerret, sic enim cum mortis periculo eximendum. Eventus veram fuisse promissionem probavit. Hodie Tabellam argenteam, spectante populo frequente, puerulus obtulit; & pater cum filio in domum est reversus.

III. Re-

(a) Amos 3. 12.

III.

Religiosus Ordinis Minorum, voto Lindam nuncupato, à présente mortis periculo ereptus.

Anno MDCXXXVIII. ad XVII. Calend. Octob. P.F. Ludouicus Pfeil, Ordinis Minorum de Observantia Lindam, ab ipsis Poloniæ finibus, cis Posnaniam peregrinus advenit; & statim è cera in mortem religiosi Ordinis Minorum effictam, Deiparæ Lindensi, tanquam voti reus, obrulit. Reminisci non possum, quo genere morbi ad extrema fuerit deductus; reminiscor tamen (quippe qui multis deinceps illo familiariter usus sum) cum mihi, tum aliis pluribus palam fuisse confessum, ad ipsam se mortem vi morbi fuisse adactum, neque alio nisi Divæ Lindensis præsidio ereptum. Quod quidem non in Aula modo illustrissimi Episcopi Varmiensis, verum & totâ passim provinciâ ubique pro comperto ferebatur. Degebat ille, ad id usque temporis in Polonia, cum morbo corripitur, cui neque medicorum neque ulla mortalium præsidia (quin pro deplorato, depositoque haberetur) paria erant. Rebus igitur conclamatis, subit illi mentem præsidium, in Prussia, patria sua (Resseii quippe in Prussia natus erat) constitutum, quo cæteri mortales apud Lindam Marianam felicissimè perfruuntur. Quocirca Moderatores, quorum sub imperio agebat, vel inter mortuis vocibus appellat atque obsecrat; vellent, juberent, votum ab se Divæ Lindensi nuncupari, & si revaluisset, peregrinationem ad eandem
lusci-

suscipi. Annuentibus illis, voto se simul obstringit, & simul morbo mortisque periculo absolvitur. Quod ille tanto prædicavit enixius, quanto diutius inde hæsit in Prussia, & Lindam Marianam, grati animi ergo frequentius visitavit.

IV.

Vir in Polonia genere & dignitate illustris, voto Lindam pro se facto, propinquam evasit mortem.

Piaculum foret hoc aliis referre verbis, quam quibus & à jurato civitatis Resseliensis Notario signatum, & testibus fide dignissimis confirmatum est. Sic igitur Notarius ille: Anno Domini, millesimo sexcentesimo quadragesimo, die secunda Julii, illustris ac magnificus Dominus, Albertus Alexander Præcezkovvsky, Heres in Zbenin, Thesaurarius Terre Lomzensis, & Notarius terrestris iuxta ac castrensis Rozanensis & Mokoviensis, quaestuantur, coram testibus infra scriptis, teste conscientia dixit. Anno currente, cum in bonis regalibus Lomzyn, subito gravi, & periculoso admodum morbo esset correptus, ita, ut neque sui, neque nominis sui memoriam teneret; à coniuge, ceterisque propinquis, varia vota pro incolumitate decumbentis, ad varia loca sacra edita sunt: que quidem ego magis propinquorum, quam suam voluntate, rata esse volui. Interim casu efferuntur litera, à P. Stanislao Zberovvsky Societatis Jesu, de propinqui sui morbo planè ignari; quibus inter cetera, indulgentias & miracula ad B. Virginem Lindensem, pro festo potissimum Visitationis B. Virginis, exhiberi solita commendabat. Hic subito ager ipse ultro

votum

votum concipit (quippe qui ad illud interiore instinctu, ac vi impellebatur propinquisque variè dissuadentibus obtendebat, se omnino, vel inter media iacula de calo ruentia, voti causâ locum inuisurum) Lomz amque ad Patrem Societatis Jesu Andream Bobola scribit, ut secum, suâque causâ votum ad B. V. Lindensem concipiat. Vix votum emissum, cum ager revalescere sensim cepit, brevique ad perfectam valetudinem viresque rediit: ita ut infra hebdomadam, pro officio suo adesse lustrationi Equitum Polonorum, ipseque, pro more patriæ, inter alios, Eques vehi ac spectari potuerit. Quocirca beneficii divinitus accepti memor, & gratis; pro ipso Visitationis B. Mariae Virginis festo, neque privati, neque publicis Reipublica, Comitiorumque terrestrium negotiis decineri potuit, quin voti reus, itineri se committeret. Venit igitur die, & Anno, quo supra; sacramentique, penitentia & eucharistia refectus, quæ scripta sunt, in presentia testium infra nominatorum, referri in tabulas, atque consignari voluit.

Albertus Przekovvsky Thesaurarius Terr. Lomzensis.
& Notarius Rozanens. & Makoviens. S. R. M. S.

Ita esse attestor Paulus Mollerus Archipresbyter & Parochus Resselienfis, manu prop.

Idem testor Valentinus Maievvsky Parochus Bischburgensis, manu prop.

Idipsum testor, Thomas Clagius Residentia Resselienfis. Societati Jesu superior, manu prop.

Idem testor Christophorus Schmid Actorum Resselienfisum iuratus Notarius, manu propria.

V. Alias

V.

Alius itidem illustris è Polonia vit, præsentis periculo mortis ereptus.

Extat hujus rei votiva ex argento apud Lindam Tabella, cum hac epigraphe: *D.O.M. Virginique Matri, Fonti misericordiarum, Martinus Szyszkowsky Capitaneus, Leloviansis Germanus* is erat frater illustrissimi Varmiensis Episcopi Nicolai Szyszkowsky; ad quem etjam revifendum è Polonia in Prussiam excurrerat. Lætitiâ è gratissimo fratris conspectu singulari, propè mors præcidit; morbus certè haud leviter interrupt. Paulò enim post, quàm Heilsbergam venerat hospes, tanta illum vis morbi invalit, ut nulla medicorum industria, quin pro deposito haberetur, par esset. Quò major illustrissimo Episcopo exinde cura atque dolor, cui unicus ille fratrum supererat, in quo *domus*, ut ille ait, *inclinata recumbat*. Quocirca etjam majore fiduciâ Divam Lindenensem, cujus, ut ante vidimus (a) honori propagando eximè studebat, supplex accedit, & fratris nomine votum concipit. Extemplo æger ad se, rediit, redièrè unâ & vires; ita ut paucis interjectis diebus, Lindam accedere, & inter prolixas memoris animi gratias sanitatis, quin & restitutæ sibi vitæ monumentum, Etiam ipse coràm statuere potuerit.

VI. Cap.

(a) lib. 3. cap. 12. &

VI.

Canonicus ob præcipitem ex equo lapsum de vita periclitans, sibi restituitur.

Inter votivas ex argento Tabellas, quædam est, quæ Equum per avia, in viaque cursu effulum, & sessorum humi afflictum sacerdotis habitu refert, cum addita epigraphæ: *Thomas Selbey, C.G. voti reus solvit.* Nemo omnium, quibus Lindæ cura hæctenus commissa fuit, inventus est, qui mihi vel dicati anathematis causam, vel picturæ mysterium evolveret. Cùm autem ipse admodum R. D. Thomas Selbey tum quidem Canonicus, nunc verò etiam Decanus Gutsstadiensis, superstes DEI gratiâ etiamnum esset, ipsum datâ occasione coram percontatus sum; & quæ didici, ex fide jam reddo. Ibat ille aliquando eques ad Capituli Gutsstadiensis prædium, Viertzighuben dictum; jamque villam ingressus erat, cùm equus non latratu modò, verùm & mortu canum, in præceps actusita est, ut nullâ habenarum vi, nullâ sessoris contentione flecti, ne dicam silti posset. Non ignorabat sessor, quanto in vitæ discrimine versaretur; quò magis præsidium, quod in Deiparæ ope collocârat, animo versabat. Interea maximo impetu de equo excutitur, & vel ad saxum (neque enim satis reminisci possum) vel ad terram saxo vicinam, eodem alliditur impetu. Actum fuisset de vita, nisi, quemadmodum D. Decanus ipse disertè fatetur, in ipso mortis articulo, à Deipara vitam recepisset. Quod beneficium & illo jam tempore posito Lindæ

monu-

monumento, ætisque divæ servatrici gratias celebravit; & nunc perennibus gratias agendis, grataque, quoties occasio datur beneficii de prædicatione, non desistit celebrare.

VII.

Præposito Gurtstadiensi, conclamata jam ob acuitatem morbi, vita restituitur.

Si omnium, quæ symbola vel notas aliquas habent impressas, tabellarum vel anathematum explicare, vel etiam cognoscere rationes & causas arcanas liceret, quanta vel operi huic moles, vel beneficiorum Deiparæ multitudini cumulus accederet? Quot enim capite præcedente omnino intacta præteriri deberunt, quin & deinceps debebunt? Geminas præteriri neque possum, quia earum rationem assecutus jam sum; neque sanè, ut possem, etiam debeo; quia, quoad licet, gloriæ & honori Deiparæ Lindenensis detractum nihil volo. Si literam unicam demas, iisdem utraque notis consignata est; altera quidem hoc modo: M. A. B. C. G. O. V. 1649. altera verò hoc: M. A. B. P. G. O. V. Non difficile mihi fuit assequi utramque dicatam esse à *Matthæo Alberto Bogursky*, Anno quidem 1649. Canonico, deinde verò 1650. quo posterior Tabella consecrata fuit, jam Præposito Gurtstadiensi, & simul Oecono Varmiensi; at vel divinare, quam tandem ob causam dicatæ essent, per quam difficile. Auctor ipse difficultatem sustulit, qui hoc ipso 1655. Anno, causas mihi coràm explicuit. Prior enim Tabella ob vehementes morborum cruciatus, posterior verò etiam ob depulsum mortis periculum oblata fuit. An-

no e-

no enim MDCL. gravibus in negotiis Poloniam adie-
 rat, ubi ad usitatos calculi cruciatus, febris peracuta,
 aliorumque symptomata morborum accessere. Tri-
 dum integrum ex animi quam vivo similior, non
 se modò, verùm & alii spem vitæ abjecerant. Ve-
 rum à Diva Lindensi, cujus & aliàs opem expertus
 fuerat, & tum maximè implorârat, spes vitæ, quin &
 vita impetrata. Quam ob rem, ubi in Prussiam rever-
 sus est, nihil habuit antiquius, quàm ut Lindæ se, at-
 que unâ beneficii tanti monumentum Deiparæ siste-
 ret.

VIII.

Viri nobilis Villicus, quintum diem extra sensus
 positus, voto Lindam nuncupato sibi
 restitutus.

Ita apud Lindam Marianam sanctè de se asseruit
 Gregorius Radiken, VII. Idus Julias, Anni MDCLII.
 Agebat Villicum in Eldirten apud generosum virum
 Eustachium à Nenchen; cùm interim vehementissi-
 mo involutus est morbo. Quodcunque tandem mor-
 bi genus fuerit, vis certè ac malignitas tanta erat, ut
 abruptâ vitæ spe, ipsa quoque vitæ stamina videren-
 tur abrumpi: jam enim quintum diem extra se, sen-
 susque positus, nihil cibi aut potionis admiserat.
 Frater, qui interim aderat, fratris miseratus, quid mi-
 sero afferret remedii, non habebat. Occurrit animo
 decantata omnibus Divæ Lindensis potestas æquè in
 mortem, ac pietas in mortales: utramque piissima
 Mater, ut in fratrem suum exerceat, supplex obse-
 rat, & Lindæ insuper à fratre, ubi revaluisset, quàm
 pri-

P P

pri-

primùm revisendæ, votum nuncupat. Adfuit repente homini jam deposito, invocata Mater Dei, ut postmodum de illius benignitate liceret illi tum vivere, tum ederet, tum edere, ut viveret: interjecto quæ brevi admodum tempore sanus atque incolumis non tam vilificationis, quàm gratitudinis suæ rationem coràm Lindæ reddiderit.

IX.

Religioso Societatis Jesu Sacerdoti, in Austria, per Deiparam Lindensem vita conservata.

Nemo id melius, quàm qui expertus ipse est, scribendo explicuerit. Est autem ipse, cujus literas paulò antè (a) produximus. P. Joannes Aloysius Kuhn. Sic enim iisdem ille literis de se memorat. Mitto affectum meum beatissimæ Virgini Matri Lindensi sub notu Messeri expressum; quandoquidem non nisi exigua signa magna Martiri transmittere queo. Suum Diva Lindensis, in horis oras, auxiliare brachium extendit. Meam illi in accepta vitam refero, miraculum tamen fileo, ne videar vivere vacuosè. Quam spem vita deposito mihi Medicus hoc præcidit, illa opem ejus imploranti, repente integræ valetudine contulit; ut à multo tempore, quo vitam in societate dego, meliores vires, quàm quibus nunc Deipara Lindensis beneficio fruor, non sim expertus.

(a) lib. 4. cap. 33.

X.

Vidua Regionmontana, voto Lindam facto, periculum mortis evasit.

Sub Anni MDCLIV. exitum, Walpurgis, civis Regionmontani Melchioris Renner relicta vidua, stomachi, viscerumq; omnium per octo minimum hebdomadas intolerabiles experta cruciatus, de vita omnino periclitabatur; præsertim cum omnia incassum adhibita essent remedia. Evasit tamen periculum, ubi peregrinationis Lindensis votum fecit; sed ita evasit, ut multa ubique morbi vestigia residerent. Quam primùm tamen Lindense arripuit iter, omnis prorsum dolor recessit; ut pedes, quidquid interjacee itineris, potuerit emetiri.

XI.

Viro nobili, omnium judicio jam deposito, vita per B. V. Lindensem prorogata.

Quod vir in Masovia nobilis, Dominus Nicolaus Trutzkowsky, Paracixæ Lachoviensis, VI. Nonas Julii Anni MDCLII. coram R. P. Alberto Kuklinsky Rectore (qui etiam id literis tradidit) & Paulo Radig atque N. Trabant, consularibus Resselii viris sanctè affirmavit, idiplum vicini illius Anno MDCLIV. ad VI. Idus Septemb. cives Colnenses pari fide confirmarunt. Vis illum morbi ita oppresserat, ut tandem vita propè omnis destituerit. Quia derant, nihil intentatum reliquerunt, ut sensibus, à quibus jam erat abalienatis, restitueretur. Cùm cætera frustra essent omnia, subiit animos Mariana Deiparæ Linda, & apud eam, quamvis

P p 2

log.

longè diffitam, præsens ac singularis in omnes benignitas. Votum eò ægri nomine concipiunt; & simul æger, reddito paulatim animo, sensum vigoremque corporis, omnium exspectatione maturius recepit. Virium quippe jam compos, haud ita multò pòst in viam se sat prolixam dedit, & sanus atque incolumis Lindæ vota persolvit.

C A P U T XXXVIII.

Animæ Purgatorii per B. Virginem Lindensem adjutz.

QUæ, & quanta sit Deiparæ in Animas purgatoriorum ignium carceribus detentas clementia & caritas, vel ex iis, quæ tum Alphonso Correfio, tum Joanni Ximeno, Societatis Jesu religiosi, aliquando in mandatis dedit, facile colligas. Illi enim, teste P. Joanne Rho (a) qui singulari quâdam pietate Deiparam, per omnem vitam coleret, familiaritè quiritanti aliquando, quod se molestis animi angoribus scrupulisque confici pateretur, edixit, atque haud dubio oraculo monuit Virgo, si salvus ac liber esse vellet, animis è purgatorio igne redimendis, opera plurimum impenderet. Hunc verò ante suam Imaginem orantem, ac vehementius concepto æstuantem amore, sic affatam Deiparam ferunt; Ximeni, cave, ne animas in Purgatorio igne laborantes oblivioni tradas. Quæ igitur, quali conductas suorum operas, pro animabus Purgatorii ita sollicitat, suam iis operam suffraginè que deneget? Quod cum alibi, tum apud suam quoque Lindam accurate præstat. Proinde qui jam animos mortalium cum

(a) in varia histor. lib. I. cap. 4.

orte vel mortis periculis luctantes, vidimus à Dei-
ra adjutos, jam ut ii cum ignibus purgatorii lu-
rantes, ab eadem juventur, videamus.

I.

Anima cujusdam defuncti, preces ſui cauſâ apud
Lindam Marianam fieri expetit.

Anno MDCL. Idibus Octobris Lindam inviſit
matrona Gurſtadienſis, Martini Wagneri conjux: ut
ſuis aliorum que precibus ac placaminibus, divinum
in ſiſcum conferret aliquid, expungendis animæ, quæ
ſibi apparuerat, nominibus profuturum. Paucos
enim ante dies, cum ædes ipſius nocturnis fragoribus
atque lamentis identidem perſonarent, ſupplex à DEO
peterat, ut, quidquid tandem rei id eſſet, edocere-
tante enim ad omnem DEI nutum, dummodo planè
deco ſibi conſtaret; promptam omnino pacatam que
fore. Edocta eſt, ac monita per ſomnium, ut ipſa, ad-
junctis, quaſ et jam de nomine appellavit, duabus
aliis matronis, Lindam pergeret, & preces pia que
alia pro ſe placamina faceret. Mulier, quemadmo-
dam monita aut potius rogata fuerat, aliis ſomnium
indicavit; ſed cum ab aliis fortasſe, tum à viro quo-
dam gravi, indicium illud riſu acceptum eſt, reſ que
omnis anicularum fabellis ac meris ſomniis adſcri-
pta. Ergo, ne ſomnia vigilantibus quoque objice-
rentur. poſterâ die, ipſâ ſextâ matutina horâ, quâ in
Templo ſignum, pro ſacris, ære campano dabatur,
vigilanti atque adeò ad Templum ſe accingenti ſpe-
ſtandam ſe, in lineis veſtibus animula exhibet, pre-
ces que antè per ſomnium poſtulas, citra ſomnium

ingeminat, continuoque ex oculis disparet: sed disparere ex animo minimè potuit; quoad mulier, quidquid rogata erat, primo quoque tempore, apud Lindam, ritè executà est.

II.

Defunctæ conjugis anima, sacro apud Lindam Missæ sacrificio precibusque adjura, suâ aliorumque quiete gaudet.

Pontem, quo facilis ad cælum patet aditus, Deiparam Virginem, appellat & adorat. Græca in Menæis (a) Ecclesia. Quid igitur mirum sit, si jam soluta à corporibus animæ, quæ liquidius utique Deipara agnoscunt dignitatem, ad ejus suffragia ac patrocinia anhelant? Anno MDCCLIII. è vivis excessit Gregorius Schroter civis Guttstadiensis conjux; sed ita excessit, ut per dimidium annum fragoribus terroribusque nocturnis christianæ erga se caritatis ac pietatis domesticos omnes commonefaceret. Viduus maritus nihil suo officio deesse passus, jam stipe egenis, pro sua facultate, liberaliter data; jam sacro sancto Missæ sacrificio piis defunctæ conjugis manibus parentavit; nihilo tamen perstabant adhuc nocturni illi frigores ac tumultus, quia apud Lindam nimirum Marianam, pons animæ illi paratus ad cælum erat. Posteaquam enim maritus sacrum pro defunctis Lindæ se curaturum, & aliquid ceræ ibidem oblaturum voluit, sua manibus piis quies, & ædibus tranquillitas exte-

(a) σὲ τῶ ἰνδία βάλον γέφυραν, περιφανῆς, μανῆσθωμεν apud Wagneri k. num. 329.

templo rediit. Quocirca maritus, quod voverat, sine cunctatione executurus, iter Lindam versus ingressus, ad xvii. Calend. Julias MDCLIV. Anni Lindæ apparuit, & voto perfunctus est.

III.

Plures juvandis piorum manibus, donaria & anathemata Lindam mittunt.

Altissimè omnium cordibus fidelium videtur impressum, quod ipsa de se Dei Mater apud S. Brigitam, Blofio teste (a) professa est. Nam, ut Blofius inquit, audivit S. Brigitta, ipsam beatam Dei Genitricem Virginem dicentem: *Ego sum Mater DEI, & Mater omnium, qui sunt in Purgatorio. Quia omnes pena, quæ debentur purgandis pro peccatis ipsorum, per preces meas quolibet horâ, aliquo modo mitigantur.* Quod quidem etiam S. Bernardin. Senensis (b) tradidit: *Beata Virgo, inquit ille, in regno Purgatorii dominium tenet; propterea inquit Ecclesiastici 24. Et in fluctibus maris ambulavi. Pena siquidem purgatorii, ideo dicitur Fluctus, quia transitoria est; sed additur, Maris; quia nimium est amara. Ab his Tormentis liberat beata Virgo, maxime devotos suos. Et hoc est, quod ait. Et in fluctibus maris ambulavi; scilicet visitans & subveniens necessitatibus & tormentis devotorum meorum: imò & omnium, qui ibi existunt; quia filii ejus sunt, cum sint filii gratia. Atque hinc non minimus solet esse*

P p 4

esse

(a) Monil. spirit. cap. 13. (b) serm. 3. art. 2. cap. 3. de Namine Maria.

esse numerus eorum, qui apud Lindam Marianam
juvandis propinquorum, aliorumque in purgatorio
existentium manibus, Deiparæ opem implorant.
Paucos duntaxat memorabo, qui aliquod suæ illic
pietatis monumentum reliquerunt. Anno MDCL.
Dominus Jacobus Hanman Consul Meelfaccensis,
non longo temporum intervallo, & uxorem, & fili-
um, qui in Olivenfi Cisterciensium Monasterio pro-
fessus jam erat, ereptos sibi indoluit. Ut tamen in al-
tero seculo utriusque prospiceret, utrumque Deiparæ
Lindensî commendavit, misâ Lindam tabellâ voti-
vâ, cum hoc epigrammate:

*Ad maiorem DEI gloriam, beatissimæque Virginis ho-
norem. Pro charissima consorte Anna Silbein, & filio Petro
Professo Olivenfi, Iacobus Hanman Consul Meelfaccensis
1650.*

Anno MDCLIV. Gregorius Spohn civis Traun-
burgensis, ad III. Nonas Junias, Deiparæ Lindensî
obtulit calicem argenteum, cum velo & omni ad sa-
crificium necessario apparatu. Velum porro & reli-
quos apparatus nigri coloris erat, quia cum cæteris
defunctis, tum uxoris suæ manibus consultum mari-
mè cupiebat. Sub idem fere tempus etiam D. Geor-
gius Eisenbletter, inter Brunsbergenses, genere &
opibus facilè primus, ut defunctæ haud ita pridem
matri suæ Deiparam Lindensem redderet propitiâ,
peregrinationem, ex voto promissam, Lindæ absol-
vit. Cujus ego quidem votis, haud invitus mea con-
juxerim, ut bene sit manibus piæ, & in Collegium
Brunsburgense munificæ præ cæteris matronæ. Illi
enim socios ad desertum bello Suecico Collegium
poli

postliminio revertentes, vestibus, com meatu, & suppellectile maximè instruxit; illa succedentibus deinceps annis munificam à Collegio manum nunquam subtraxit; illa denique, nisi suorum non nemo obfuisset, augustissimam Collegii illius rem, aliqua fundi parte, augere cupiebat. Sit merces etiam bonæ voluntati æterna, ab eo, qui teste Regio vate, *voluntatem suam se faciet, & deprecationem eorum exaudiet* (a) Plures alii superioribus annis defunctorum causâ, è Brunsbergensibus Lindam peregrinati sunt; præsertim ubi fama de multorum apparitionibus, totam ita repleverat civitatem, ut etiam totâ latè Variâ funderetur. Cui ego famæ, quid, & quantum tribuam, non invenio: nisi quod tum donaria Lindam & ad alia sacra loca passim missa, tum imagines aliæque monumenta ea de causa erecta, non omnino haustam ex vano fuisse confirmant.

C A P U T XXXIX.

Quidam ob neglectam Lindæ, vel Ecclesiæ religionem
divinitus puniti.

Plures tum secundo, tum etiam tertio libro, qui vel desertum Lindæ locum temerare, vel etiam restauratam contumeliâ injuriavé aliquâ sunt ausi afficere, divinam expertos Nemesein produximus: pauciores hoc loco producemus, quia eò jam Lindæ Marianæ splendor atque dignitas promovit, ut paucos jam vel furor, vel etiam temeritas in eam transverfos agat. Quin & hi, qui jam producentur, in se

Pp 5

pori-

(a) Psalm.

potius, quàm in Lindam fuerunt injurii, nisi pro Lindana etiam reputes injuriã, quod cum in vicinia positi sint, aut Lindam etiam de longinquo, sacrorum causã frequentare soleant, utrique castigatã divinitus negligentia suã, ad dignam eo loco observantiam, studiumque religionis excitari necesse habeant.

I.

Qui jejunium sextæ feriæ violat, à morbo, quo corripitur, non nisi B. V. Lindensis auxilio eripitur.

Quid potest esse crudelius hæresi, cui non propriæ duntaxat, verùm & alienæ salutis negotium, ludus est? Eo namque temeritatis, ne dicam, insanix nonnulli devenerunt, ut non satis habeant, si ipsi pereant, nisi & alios in exitium secum adducant, & quidem adducant ludendo! Hinc illis non rarò in Prussia mos est, sannis, ludis, &, plus quàm scurrili urbanitate, innoxix plebis sensum pervertere, & cum ad alia suæ sectæ capita, tum ad jejuniorum pellicere contemptum. Hinc illa statis jejuniorum diebus ad vorandas carnes illicita, atque sollicitationes. Quòd si suadendo atque sollicitando nihil promoveant, uti quidem apud cordatiores, etiam de plebe, rarò promovennt fraude, dolo, & ludificationibus agere, atque, ut in præterbio est, de alieno corio ludere. Nam & litidi ipsorum, per sæpe etiam innoxie seductis noxæ sunt; uti quidem Anno MDCLIV. Thomæ Janowsky è Subsylvania oriundo fuerunt. Rusticas ille operas, apud Goldapensium civium quendam exercebat, salvo tamen religionis Catholicæ, quoad potuit,

exer.

exercitio: nunquam enim adduci potuit, ut appositas feriâ sextâ, aliove jejunii die carnes etiam degustaret. Et ecce per ludum tandem pertractus est in nasam! Occuluerant intra olus carnes impii ludiones, nihil veriti condimenti esse asseverantes. Credidit homo simplex atque olere vescitur; cum ecce suilla intra olus tandem apparet. Cohorruit illico, & gustare deinceps religioni sibi duxit. Nihilominus ludionum verbis persuasus, tandem ultro carni manum admovet, & buccam ori ingerit: sed non sine consequente eodem vestigio divinâ vindictâ. Repente enim corrigitur morbo, ut decumbendum fuerit. Ita decumbenti, at necdum sopito, species humana augustior (ille Deiparam fuisse ait) coram ad stare visa: quæ etiam placidè interrogavit, ecquid deinceps jejunium sextæ feriæ religiosius servare vellet? cum ille respondisset, velle, quin & ad hanc voluntatem voto firmatam, adeundæ Lindæ votum adjecisset, continuò sanatus, VI. Idus Julias Lindam adiit, & tum delictis suis expiatus, tum votis ritè solutus est.

II.

Ab esu carniû diebus jejunii, prodigio quidam revocatus.

Sub idem fere tempus, atque eadem fere de causa alter Lindæ expiatus est. In ipso verni quadraginta dierû jejunii capite, atq; adeò ipsâ quartâ feriâ, quæ à cineribus nomen habet, mensæ cujusdam hæretici, haud procul Resselio, accubuit: & hospiti, pro solita hæreticis urbanitate, ad vorandas carnes invitanti, adeo-

adeoque carnes cum quadra offerenti, haud gravate infelix conviva assensus est. Et jam manus erat admo-
 turus cum se inusitato quodam sensu aut potius hor-
 rore percelli sensit; quin & tres sanguinis guttas, e
 naribus in quadram defluxisse vidit. Prodigium id,
 haud vanè interpretatus est; quippe qui extra id
 temporis monumentum, neque in pueritia, neque in
 proveciore deinceps ætate, vel unicam sibi de nati-
 bus guttam sanguinis meminisset unquam stillavisse.
 Eo quocirca prodigio abstrerritus, non modo carni-
 bus abstinuit, verùm & Lindam haud multò post hæc
 instituit, & de servando in posterum religiosius jeju-
 nio, constanter sibimetipsi cavir.

III.

Ad festorum cultum dierum, quidam supplicio
 divino admonitus.

Carbonarius is erat, & struem lignorum in car-
 bones exurendam, jam habebat paratam. Instabat
 sacrosanctum Paschatis festum, quod à servili opere
 quàm maximè coërcere hominem debuerat. Ille ta-
 men captum opusurgere, & ipso Sabbatho sancto
 ignem pyræ subjicere, proinde & ipsa Paschæ Domi-
 nica operi intendere. Verùm illâ ipsâ die, vindicem
 Domini manum sensit: nam & oculis offusa caligo
 repente est; & pedes labescere ac dolote excruciatum
 continuò ceperunt. Quibus ille malis ut levaretur,
 auxiliarem Deiparæ Lindensis manum imploravit,
 & expertus tandem est; quemadmodum per modico
 spacio interjecto, Lindæ ipsemet professus est.

IV. AL.

IV.

Alter quoque ob violatam festorum dierum religionem divinitus plexus, voto Lindam factò convalescit.

Colonus quidam in vicino Prussiae Ducatu haud longè degebat Lindâ, quò etjam cum reliquis in eodem Ducatu agentibus Catholicis, divini cultus gratiâ, frequentare diebus festis solitus erat. Obrepfit tandem noxius homini torpor, & fortasse etjam ipsam hæreticorum consortium, quasi noxio quodam halitu, miserum afflârat; ut multò tempore domi iners desideret; &, quanquam duobus tantummodo passuum millibus Linda abesset, ratò tamen Lindam sacrorum causâ, etjam festis diebus adiret. Tantam animi inertiam, non iners modò, verùm & peracerbis excepit morbus; quo membra omnia obtorpuerunt, & resolutis nervis enormiter sunt contracta, ac demum lecto affixa. Sensit enim vero miser supplicium; sed & supplicii causam, non potuit intimiùs animo non persentiscere. Pervigilium erat Natalis Domini Anno MDCLIV, quo & ipse pervigilare de salute indispiscenda cæpit. Quia verò à neglecta Lindæ frequentatione morbi origo fuit, promittit, si ex morbo illo emerisset, ipsis Januarii Calendis Lindam aditurum, & cum circumciso Jesu omnes animi noxas amputaturum. Convaluit postero abinde die, ipso videlicet Natali Domini; & advenientibus Calendis Januarii Lindam veniens, non modò per sacra penitentiae atque eucharistiae sacramenta, expiacus

piatus est, verum, ut ad cæterorum exemplum, id di-
vinæ in se genus vindictæ literis mandaretur, sacrum
conscientiæ suæ Judicem, magnopere obreſta-
tus.

LIBER V.

*De beneficiis divinis, apud Lindam Maria-
nam, Anno MDCLV. vel exhibitis,
vel cognitis, & in commenta-
rium relatis.*

CAPUT I.

Ratio, & Oeconomia hujus libri.

QUOD S. Ildephonsus, eximius ille, & non
calculo duntaxat, verum & veste candidâ
è cælo missâ, probatus Deiparæ encomia-
stes censuit, reipsâ nos quoque omnium
minimi experimur: nimirum Laudis, vel,
ut ille loquitur, *Defensionis Deiparæ*, satietatem nullam
esse (a) Hæc enim (ut, quod sanctus Chrysostomus
ad cap. I. Genes. hom. 3. de S. Scriptura dixit, de B.
Virginis beneficiis dicamus) *spiritualium fontium*
natura est, ut hoc magis scaturiant, & accrescant spi-
rituales gratiæ, quo quis magis studet inde haurire. Quin
imò,

(a) *lib. de Virginit. B. M.*